


COMPENDIUM HERMENEUTICUM.



SCRIPSIT

DR. JOSEPHUS LESAR,

PROFESSOR STUDII BIBL. N. T. IN SEMINARIO CLERICORUM LABACENSI,
CONSISTORII EPISCOPALIS ASSESSOR.



LABACI.

TYPOGR. CATHOL. EXPENSIS SEMINARII CLERICORUM.

1891.

Nr. 2107.

Imprimi permittitur.

Labaci die 19. Septembris 1891.

† ***Jacobus,***
Episcopus.

030047618

Benevolo Lectori.

Non expedit, theoriam exegeseos, quod passim usu venit, a tradendo studio biblico penitus eliminare. Interpretem quippe principia et modos justae interpretationis probe nosse, rationesque, quibus innitantur, omnino perspectas habere oportet. Alias in volvendo Libro Librorum centies periclitabitur peccare.

Sed neque juvat, hanc disciplinam nescio qua longa regularum mole obnubilare. Tali definitionum congerie memoriam sterili vexares onere, studium redderes insipidum, nedum promoveres fructum, vel auctares desiderium Bibliorum.

Satius mihi quidem videtur, normas hermeneuticas succincta complecti epitome ac basi solida fundare, quod paucis absolvi potest praelectionibus, dein vero continua selectarum Scripturae partium exegesi illustrare, vivo recollere exemplo atque ita memoriae et cordibus mandare tutas.

Hoc consilio ductus scripsi *Compendium Hermeneuticum*. Quodsi Deus O. M. coepto huic vel tantillum benedixerit, id gratus referam viris, a quibus, sive scripto sive ore, ipse didici discipulus, quique consilio in hac opella me juvabant.

Ceterum in meo temptamine religiose sequi studebam praecepta et mentem sanctae Matris Ecclesiae, cujus infallibili iudicio istud per omnia humillime subjectum esse volo.

Labaci in festo s. Matthaei Evangelistae 1891.

Auctor.

Praevia.

§ 1. Notio, divisio et ambitus Hermeneutica.

Hermeneutica (ἑρμηνευτική sc. ἐπιστήμη scientia) vi etymologiae est scientia interpretandi.¹⁾ *Interpretari* vero est dicere, qui sit verborum loquentis aut scribentis sensus, seu efficere, ut audiens vel legens orationem quandam idem cogitet, quod auctor ejusdem cogitabat. Interpretis munere fungi potest vel ipse *auctor* orationis, vel *alius*; interpretatio ab ipso auctore, vel ab ejus legitimo vicario profecta, dicitur *authentica*²⁾; interpretatio ab alio facta vocatur *doctrinalis*. — Si ipse loquens (auctor) est interpres suae orationis, tantum *exponendi* officium ipsi incumbit; si vero alius interpretatur, duplicem functionem habet: sensum *inveniendi* et *exponendi*.

Hermeneutica *objective* spectata definiri potest informatio seu instructio ad artem interpretandi signa³⁾ (signa sc. in sensu latissimo), est ergo complexus regularum, juxta quas sensus inveniri aliisque exponi debet; *subjective* vero considerata est cognitio seu scientia earundem regularum.

Hermeneutica *non est ars*, sed informatio ad artem, i. e. ad *exegesis*⁴⁾; est vero scientia. *Exegesis* autem merito vocatur *ars*, facultas interpretandi; nam sicut in qualibet arte opus est exercitio

¹⁾ Nomen derivatur ab ἑρμηνεύειν, interpretari, et hoc ab Ἑρμῆς (Mercurius), qui deorum habebatur internuncius et voluntatis eorum interpres, Θεὸς ὁ τῶν λόγων ἡγερμῶν (Jamblichius).

²⁾ Authenticus ab authentia, ἀθεντία et hoc ab ἀθεντέω, sum ἀθεντής, ex αὐτός et ἔρημι, mitto, quasi ipse mittens (manum), unde apud Suidam ἀθεντής idem ac αὐτόχειρ ἢ ὁ αὐτὸν ἀναρῶν, ac dein potestatem, auctoritatem habens.

³⁾ De hisce in § seq. sermo recurret.

⁴⁾ Hermeneutica vocari solet etiam *theoria exegeseos*, nomine hocce mutato ab ἐξηγεῖσθαι = educere, rem sub verbis vel signis occultatam patefacere. Unde etiam formatur ἐξηγητής, dux, interpres, quia quasi ducis munere fungitur, qui ad dictorum sensum cognoscendum lectori vel auditori viam sternit.

haud exiguo, ut ad perfectionem in ea perveniatur, ita quoque solida et justa interpretandi regularum applicatio acquiri nequit absque frequenti et quotidiano exercitio.

Dividitur Hermeneutica in communem et peculiarem, haecque in generalem et specialem.

Hermeneutica, quæ regulas tradit, juxta quas *cujusvis orationis* sensus inveniatur et exponatur, vocatur *communis*; quæ vero regulas tradit in *certi generis* libris exponendis, *peculiaris* nominatur. Peculiaris igitur est etiam Hermeneutica *biblica*, in qua regulæ proponuntur de sacris Bibliis interpretandis. Hæc ultima est vel *generalis* vel *specialis*, prouti complectitur systema regularum, iuxta quas vel *omnium* Librorum biblicorum, vel *unius* alteriusve sensus est inveniendus et exponendus.

Nobis sermo erit de Hermeneutica *biblica generali*, ex qua facile formari potest *specialis*, si regulæ illius ad Librum quemcunque biblicum ita applicentur, ut ratio habeatur noticiarum *peculiarium*, quas de libro quolibet *introductio* *specialis* suppeditat.

Ambitum Hermeneuticæ *biblicæ* quod attinet, ante omnia scire necesse est, quotuplex *sensus* in s. Scriptura occurrat et quomodo quibusque formis appareat. Igitur de *sensu* s. Scripturæ ejusque speciebus et formis ante omnia disserendum erit.

Sensibus s. Scripturæ stabilitis *principia* proferenda sunt, quibus *sensus* ille *inveniatur* et aliis *proponatur*. Principia hæc duplicis generis sunt, prouti etiam duplex momentum in hisce Libris sacris attendendum est, humanum nempe et divinum. „*Quid sunt Scripturæ, nisi epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam?*“ dicit *classice* s. Gregorius M.¹⁾ Epistola hæc est igitur *epistola divina*. attamen, quia hominibus missa, concepta *modo humano*. Ideo etiam in interpretatione horum Librorum duplicis generis principia erunt attendenda: principia *rationalia* seu *communia*, iuxta quæ *sensus* *cujuslibet libri humani* inveniendus et proponendus est; et principia *dogmatica* et *specialia*, quæ in inveniendo et proponendo *sensu* s. Scripturæ tamquam *libri divini* attendenda veniunt.

Hisce itaque præmissis, loquemur in parte prima de *sensu* s. Scripturæ, ejus speciebus et formis; in parte secunda de principis et regulis in *inveniendo* ²⁾, in parte tertia de principis et

¹⁾ Ad Theodor. Ep. IV, 31. (Migne, Patrolog. lat. 77. 706.)

²⁾ Pars hæc dicitur etiam „*Heuristica*“ — εὐριστική sc. ἐπιστήμη, scientia, sensum *cujusdam orationis* inveniendi.

regulis in *proferendo*¹⁾ sive exponendo sensu s. Scripturæ. Tum in sensu inveniendō cum in sensu proferendō momentum s. Scripturæ humanum et divinum attendendum erit, et proponenda principia tam *rationalia*, quam *dogmatica*.



Pars prima.

Sensus s. Scripturæ.

§ 2. Signum, significatio et sensus.

Homo cogitata sensaque sua non immediate, sed per **signa**²⁾, quæ in sensus cadunt, manifestat. Signa hæc sunt duplicis generis: alia *naturalia*, alia *arbitraria*. *Naturalia* vocantur illa, quibus homines præter voluntatem animi sui conditionem motusque suos produunt, v. g. vultu hilari, tristi, vel singulari vocis sono, certo corporis aut membrorum motu. *Arbitraria* signa sunt, quibus homines scientes et volentes abdita mentis atque animi sui pandunt. Horum alia pertinent ad *visum*, alia eaque plurima ad *auditum*, paucissima ad sensus reliquos. Primum autem inter omnia signa arbitraria locum occupant *voces* seu *vocabula*.

Unumquodque vocabulum habet suas **significationes**.³⁾ *Notio*, quæ signo arbitrario, proinde etiam vocabulo quodam vel formula indicatur, *significatio* huius vocabuli vel formulæ dicitur; cogitatio vero aut animi motus, qui vocabulis in propositionem⁴⁾ vel orationem⁵⁾ conjunctis a loquente exprimitur, **sensus**⁶⁾ vocatur.

Ex dictis simul elucet, quale **discrimen** inter significationem et sensum intercedat: a) Significatio ad *vocabula* refertur, sensus vero ad *propositiones* et *orationes*; b) significatio unius eiusdemque vocis aut formulæ sæpe *multiplex* est, sensus vero propositionis

1) Pars hæc vocatur etiam „*Prophoristica*“, *προφωριστική* sc. *ἐπιστήμη*, scientia, sensum inventum cujusdam libri aliis proponendi seu exponendi. — Has duas Hermeneuticæ partes (Heuristicam et Prophoristicam) jam s. Augustinus bene noverat, scribens: »Modus inveniendi, quæ intelligenda sunt et modus proferendi, quæ intellecta sunt« (de doctr. christ. 1. 1), solo hoc discrimine, quod ipse voce Prophoristica meram explicationem s. Scripturæ ecclesiasticam in hominibus et catechesibus significaverit.

2) Zeichen, znamenje. — 3) Bedeutung, pomen. — 4) Satz, stavek. —

5) Periode, sestavije. — 6) Sinn, smisel.

aut orationis ab homine loquente intentus, semper *unicus* est; c) significationes plerumque sunt *vagæ* et *indeterminatæ*, quia homines diversi ingenii ad cogitata sua exprimenda iis utuntur; sensus vero cujusdam loci est *certus* et *determinatus*, quum loquens uno temporis momento unum tantummodo cogitatum aut animi motum propositione quadam enunciare potest, qui peculiari ejus conditioni tum externæ tum internæ conveniens est. (E. gr.: Leo, Leo XIII, «vicit leo de tribu Juda» (Apoc. 5, 5).)

Significationum aliæ sunt *proprie*, aliæ *improprie* (seu tropicæ). *Proprie* significationes vocantur notiones, ad quas designandas vocabula primitus adhibita aut inventa sunt; *improprie* vero sunt notiones, quæ præter originariam ob affinitatem vel similitudinem quandam, inter res designatas intercedentem, cum vocibus coniunguntur. Affinitas hæc *duplicis* generis esse potest: aut utrique notioni nexus vicissim *realis* subest, ita ut coherentia inter utramque *realis* regnet, quo in casu oriuntur duo tropi, *metonymia* et *synecdoche*; aut inter duas notiones *similitudo* quædam intercedit, quo in casu oritur *metaphora*.

Sensus in genere dividitur:

a) In *proprium* et *improprium*; prior adest, si vocabula significatione *propria* adhibita sunt; posterior vero, si vocabula significatione *impropria* (tropica) usurpantur.

b) In *literalem* et *realem*.

c) In *originarium* et *accommodatum*. Prior dicitur, qui a primo dicti cuiusdam auctore expressus est; posterior vero ille, quem serior scriptor effato antiquioris auctoris suum in finem subiicit. Proprie igitur hic ultimus non potest *sensus* prioris dicti nominari.

§ 3. Tropi biblici.

Tropus (τρόπος, a τρέπω, flecto: inflexio) est mutatio vocabuli vel sermonis, certam notionem vel certum cogitatum exprimentis, a propria significatione in aliam facta ob similem vel cognatam notionem.¹⁾ Dicitur autem mutatio vocabuli vel sermonis, quia duo

¹⁾ Cicero vocat tropum »verborum mutationem.« Quintilianus autem sic definit: »Tropus est verbi vel sermonis a propria significatione in aliam cum virtute mutatio.« (Instit. orat. 8. 6. 1.) Hermann (Opusc. acad. I, 90.) tropum ita extollit: »Troporum hæc est natura, ut, cum aliud pro alio nominetur, animo quasi campus aliquis aperiatur, in quem aliarum rerum varietate allectus libere possit excurrere.«

sunt genera troporum: alterum in singulis vocabulis, alterum in continuis dictis seu sermone. Illi a nonnullis *simplices*, hi *complexi* vocantur.

I. Tropi simplices:

1. **Synecdoche** (συνεκδοχή¹⁾ est tropus simplex, quo propria vocabuli significatio transfertur in aliam ob nexum duarum rerum *internum*, qualis e. gr. locum habet inter totum et partem, inter genus et speciem, inter speciem et individuum, inter singularem numerum et plurarem, vel vice versa. Nexus inter rem sensu proprio significatam et inter rem significatam sensu improprio tam firmus est, ut una res sine altera stare nequeat. Exempla: Tectum ponitur pro domo; »una sabbati« (Luc. 24, 1) = prima die hebdomadae; εἰ δὲ σὺ Ἰουδαῖος ἐπωνομάζει »si vero tu Judaeus cognominaris« (Rom. 2, 17) (singularis pro plurali); »hæc generatio mala et adultera« (Mat. 12, 39) (tota gens Judaica pro parte).

2. **Metonymia**²⁾ (μετά et ὄνομα, forma æol. et dæd. pro ὄνομα, commutatio nominis, nominis pro nomine positio) est tropus, quo propria vocabuli significatio transfertur in aliam ob nexum duarum rerum *externum* vel *causalem*, qualis v. gr. obtinet inter continens et contentum, antecedens et consequens, materiam et materiatum, signum et signatum, abstractum et concretum, inter substantiam et accidentiam, causam et effectum et vice versa. Exempla: Calix pro eo, quod est in calice: »Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat«, (I Cor. 11, 26); sceptrum pro potestate regia: »non enim (potestas) sine causa gladium portat« (Rom. 13, 4); »argentum et aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do« (Act. 3, 6); »ego sum resurrectio et vita« (Joan. 11, 25); lignum pro cruce (Act. 5, 30); sedes (thronus) pro regno (Luc. 1, 32); gladius pro bello (Matth. 10, 34); Judæa pro habitantibus in ea (Matth. 3, 5).

Nexus realis inter rem sensu proprio et improprio significatam non est tam firmus in metonymia, ut in synecdoche. — Interdum difficile est metonymiam a synecdoche distinguere, ut iam Quinti-

¹⁾ Συνεκδέχομαι, una suscipere, συνεκδοχή communis intellectio, cum res tota cognoscitur parva de parte aut de toto pars.

²⁾ Μετωνυμία a Cicerone nominatur: »transductio vel immutatio« (Orat. 92), uti Mars pro bello, Ceres pro frumento, Neptunus pro mari (De orat. 3, 167); a Quintiliano: »denominatio, nominis pro nomine positio« (L. c. 8, 6, 23).

lianus ostendit (l. c. 8. 16. 19). Uterque tropus vero coniunctus invenitur (Gen. 3, 19): »In sudore vultus tui (metonymia) vesceris pane« (synecdoche).

3. **Metaphora**¹⁾ est tropus simplex, quo propria vocabuli significatio in aliam, sed cognatam, ob aliquam similitudinem vel affinitatem transfertur. Juxta s. Augustinum²⁾ metaphora est »de re propria ad rem non propriam verbi alicuius usurpata translatio«.³⁾ Tropus hic, uti reliquorum omnium frequentissimus, ita facile pulcherrimus iucundissimusque, miram stylo ss. Literarum vim et evidentiam conciliat; transfertur nimirum persæpe ad Deum resque divinas id, quod creaturis, præsertim homini competit, v. g. per expressiones *anthropomorphicas*, *anthropopoëticas* et *anthropopathicas*. Tali modo veritates quantumvis abstractæ et spirituales per metaphoram satis bene illustrantur. Exempla: »Ego sum lux mundi« (Joan. 3, 19; 8, 12; 9, 5; 12, 36); »ecce agnus Dei« (Joan. 1, 29); »vos estis sal terræ; vos estis lux mundi« (Matth. 5, 13. 14); »ego sum vitis, vos palmites« (Joan. 15, 5); »ego sum pastor bonus« (Joan. 10, 11); »portæ inferi« (Matth. 16, 18); »cavete a fermento Pharisæorum et Sadducæorum (Matth. 16, 6).

II. Tropi complexi.

Si figuratum dicendi genus ad propositiones, orationes et libros extenditur, exoritur: *imago*, *comparatio*, *similitudo*, *allegoria* cum *ironia* et *sarcasmo*, *parabola*, *gnoma*, *fabula*, *ænigma*. Etiam *visio symbolica* et *symbolum* huc pertinent. Omnes formæ hæ figurati dicendi generis in hebraico m'schalim (maschal, similitudo, parabola, proverbium) vocantur.⁴⁾

Occurrunt præprimis in quinque libris sapientialibus: Cantico, Eccl., Prov., Eccli. et Sap., non raro etiam in Prophetis et Psalmis.

¹⁾ Μεταφορά, ἡ, proprie translatio, translatio significationis, a μεταφέρω = μεταφέρω.

²⁾ Contra mendac. c. 10. Cf. Breviarium Dom. II Quadr. II Noct.

³⁾ Metaphora potest etiam dici abbreviata allegoria. *Quintilianus* vero definit: »In totum metaphora brevior est similitudo« (l. c. 8. 6. 8.) *S. Thomas* intelligit sub illa quodlibet figuratum dicendi genus: »Utrum s. Scriptura debeat uti metaphoris?« (Summa theol. I, q. 1. a. 9.)

⁴⁾ A *Junilio Africano* nominatur maschal »species proverbialis« et definitur: »est quædam figurata locutio, aliud sonans, aliud sentiens et in præsentibus commonens tempore.« (Instit. reg. 1. 5.)

1. **Imago** (Bild, podoba) est narratio figurata, qua notio quaedam, vel sententia, vel sententiarum series vivide repræsentatur et illustratur. Imago rei illustratæ respondeat necesse est eamque sequatur, sicut radii solis reflexi radios ipsos sequuntur. Imago, qua res repræsentanda non vivide illustratur, bona dici non potest.

2. **Comparatio** (Vergleich, primera) est imago, in qua sententia aliqua cum alia *comparatur* vel confertur; e. gr.: »Justus est tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum« (Ps. 1, 3). Si particula comparativa omittitur, e. gr.: »Justus est lignum fructiferum«, exoritur metaphora vel abbreviata allegoria.

3. **Similitudo** est comparatio, in qua duæ sententiæ sibi *similes* esse sistuntur; e. gr.: »Regnum Dei simile est grano sinapis« (Luc. 13, 19).

4. **Allegoria** ¹⁾ *latius* spectata est, ut parabola, quævis sententiæ aut veritatis repræsentatio per imaginem; *strictius* vero sumpta est sententiæ vel veritatis repræsentatio per solam imaginem, a re possibili quidem, non tamen probabili desumptam. In allegoria itaque cogitata loquentis per continuatas metaphoras proponuntur, quin tamen aperte cum quadam re comparentur, ut fit in similitudinibus et comparisonibus. E. g. (Matth. 3, 12): »Cuius (Messiæ) ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili«. — Alia exempla videas Ezech. 17, 22. 24; Ps. 80, 9—14; Ezech. 16, 1—60. — Quintilianus adducit istud Horatianum Carm. 1, 14: »O navis, referent in mare te novi fluctus« etc., ubi bello civili agitata res publica navi in procellis maris comparatur.

Cum allegoria nectenda est **ironia** (*ἀντίφρασις*) ²⁾, quæ est tropus simplex vel complexus, quo significatio vocabuli vel sermonis a propria in contrariam significationem traducitur; nititur ergo dissimilitudine, v. g.: »Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui se ipsos commendant« (II Cor. 10, 12).

Ironia amara et odio plena vocatur **sarcasmus** (*σαρκασμός*) ³⁾. E. g. (Luc. 23, 39): »Unus autem de his, qui pendebant, latronibus,

¹⁾ Ἀλληγορία ab ἀλληγορέω, (ex ἄλλος et ἀγορεύω, in foro loquor, dico) ἄλλο μὲν ἀγορεύω, ἄλλο δὲ νοέω, aliud dico, aliud cogito.

²⁾ Ἀντίφρασις — ἀντιφράζω, per contrarium exprimo.

³⁾ Σαρκασμός, a σαρκάζω, dilaniare.

blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos«.

Bene vero distinguatur ab allegoria sic dicta *allegorica interpretatio*, quæ etiam ἀλληγορία dicitur. Hæc interpretatio sermone altiore quendam sensum subnectit, quam qui revera in eo continentur. Sic e. gr. auctor ep. Barnabæ (c. 11) in verbis Ps. 3, 1—6: »Ipse est tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum«, videt in ligno crucem et in aqua baptismum.

Distinguatur ab allegoria et allegorica interpretatione etiam *sensus allegoricus*, qui alias sensus mysticus dicitur.

5. **Parabola**¹⁾ (Gleichnis, prilika) ad instar hebr. maschal in ss. Literis sensu *latiori* sæpe quodcunque figuratum dicendi genus significat, uti similitudinem, proverbium, allegoriam. (Cf. Matthæus 13, 31. 32; I Sam. 10, 12; Ezech. 17, 1—10). *Strictiori* vero significato parabola est narratio sive vera sive ficta, ex eventibus naturæ aut vitæ quotidianæ petita, qua veritas quædam sublimior repræsentatur. Per narrativum suum characterem parabola differt ab allegoria. In parabola distinguitur πρότασις et ἀπόδοσις: narratio dicitur πρότασις, applicatio vero, quæ sæpe apposita est, ἀπόδοσις. Cf. parabolam de filio prodigo (Luc. c. 15).

Non omnes, saltem non omnium parabolarum partes sunt significativæ, nam in nonnullis plura ornatus causa addita sunt. (Cf. modo memoratam parabolam de filio prodigo).

6. **Gnoma et Proverbium**. Per gnomas (γνώμη, Sentenz, rek) intelliguntur sententiæ, quibus veritas quædam generalis, experientia probata, valde præcise proponitur.²⁾

In V. T. sunt integri Libri, qui maximam partem gnomas continent, nimirum: Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Ecclesiasticus, Liber Sapientiæ.

Sed etiam in multis Jesu et Apostolorum dictis gnomæ occurrunt.

¹⁾ Παραβολή, proprie collocatio rei ad latus alterius, trop. comparatio, collatio rei cum re.

²⁾ *Demetrius Phaler.* Περὶ ἐρμηνείας c. 9 gnomam comparat cum semine, quod parvo volumine tam magna complectitur, ita ut ante oculos eius, qui illam exponere scit, tota arbor accrescat. — *Plutarchus* Lycurg. c. 19 gnomam dicit »brevem sententiam ad longam meditationem«.

Quod characterem gnomarum biblicarum attinet, omnes argumenti gravitate eminent; pleræque valde præcise proponuntur aut apto membrorum parallelismo disponuntur; aliæ valde perspicuæ sunt, aliæ vero obscuritati atque ambiguitati consulto involvuntur.

Huc pertinent etiam **proverbia** (παροιμια),¹⁾ quae sunt quasi philosophia populi perennans, quia quacunq̄ue data occasione denuo se offerunt et comprobantur et ideo variis rebus applicantur.

7. **Fabula** (ἀπόλογος, Fabel, basen) est representatio sententiæ alicuius per narrationem fictam, in qua animalia et res inanimatæ loquentes vel agentes inducuntur. In s. Scriptura nonnisi duæ occurrunt et quidem Jud. 9, 7—15, ubi arbores regem sibi constituere volunt, et II Reg. 14, 9 coll. II Chron. 25, 18, ubi carduus ambit filiam cedri.

8. **Aenigma** (ἄνιγμα, Räthsel, zastavica) est obscurior allegoria (*Quintilianus* l. c. 8. 6. 52). Unicum occurrit in s. Scriptura: Jud. 14, 14. sqq., cuius solutio ibid. v. 18 continetur: »De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo«.

9. **Visio symbolica** est phænomenon extraordinarium aut in se aut ob peculiaria adiuncta, quibus Deus viris a se electis sive vigilibus sive in somno (Gen. 37, 7—9; I Sam. c. 3) sive in extasi (Ezech. 8, 1—11, 24) vel religionis veritates vel eventus futuros manifestat. (Cf. Act. 10, 11—17; 16, 9. 10 et visiones in Apocalypsi).

Visiones erant in theophaniis necessariae, quia Deus solummodo in figuris symbolicis videri potest. (Cf. Ezech. 1, 1 sqq.).

10. **Symbolum** (σύμβολον,²⁾ Sinnbild, znak) in *genere* dicitur res sensualis nota, per quam ad cognitionem alicuius veritatis spiritualis minus notæ pervenitur.

Discernendæ sunt *symbolicæ res, denominationes, representationes, actiones, expressiones.*

¹⁾ Παροιμια, etymologice a παρά et ὄμιος = via, a quo derivatur verbum denominativum οἰμάω, poet. pro ὀρμάω = moveo, (a radice ἰ verbi ἵεναι = ire) — ergo παροιμια, quod iuxta viam est: sensu tropico: expressio inconsueta.

²⁾ Σύμβολον a συμβάλλω = coniicio, in med.: συμβάλλεσθαι, comparare, conferre, cf. Luc. 2, 19: »Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo«.

a) *Res symbolicae* sunt obiecta sensualia, quæ e regno aut animali aut vegetabili desumpta ob proprietates physicas adhibentur ad qualitates spirituales designandas, e. gr.: leo, rosa.

b) *Nomina symbolica* vocantur, quæ personæ vel rei imponuntur aut ad essentiam eius et attributa significanda, aut ad eventus præteritos in memoriam revocandos, aut ad futura indicanda, v. gr.: Jehova, Israël, Jesus etc.

c) *Repræsentationes symbolicae* sunt picturæ aut statuæ arte factæ, quibus certa attributa personarum instar exhibentur, v. g.: iustitia, conscientia, fortitudo, victoria, Austria etc.

d) *Actiones symbolicae* eæ sunt, quibus animi sensa, affectus, passiones declarantur, v. g.: lotio manuum in signum innocentiae.

e) *Expressiones symbolicae* sunt denominationes relationum spiritualium per res humanas factæ, quo præcipue pertinent expressiones *anthropomorphicae*, *anthropopœticae*, *anthropopathicae* de Deo adhibitæ.

Ratio, cur certa res tamquam symbolum veritatis incognita ponatur, peti potest:

a) *e natura ipsa*; e. gr. color viridis est symbolum spei, color ruber symbolum amoris; ex animantibus leo, aquila, agnus etc., e plantis cedrus, lilium album, rosa, myosotis etc. ad significandas alias res adhibentur;

b) *ex historia*; e. gr. ramus olivæ est symbolum pacis. (Cf. hist. Noë).

Indoles symbolorum est didactica, quia homines iis externe et interne admonentur. (Cf. symbolicas actiones in s. Liturgia).

Bene autem distinguatur symbolum a *sensu symbolico*.

Per symbolum sensu *religioso* intelligitur res, actus aut ritus significativus, vel ad facta et eventus pristinos in memoriam revocandos, vel ad veritates religiosas repræsentandas, vel ad eventus futuros delineandos. Hinc symbola triplicis sunt generis:

a) *historica*, quibus eventus pristini in memoriam revocantur; talia erant festa Judæorum, v. gr. agnus et festum paschale;

b) *religiosa*, quæ sunt quasi monumenta, quibus veritatum religiosarum recordatio excitatur, v. c. circumcisio carnalis in signum circumcisionis cordis, duo capri festo expiationis;

c) *prophetica*, quæ sunt actiones significativæ, eventus futuros ceu facta iam adimpleta repræsentantes. V. c. si iubente Deo Isaïas (coll. c. 20) nudus et discalceatus incedit, qua actione significabatur,

Aegyptios et Aethiopes omnibus privatos in Assyriam abductum iri; aut si Jeremias (coll. c. 13) lumbare lineum ad Euphratem in foramine petrae abscondit, et post longius tempus putrefactum inde tollit, qua actione significabatur, humiliatum iri Judae superbiam; aut si idem propheta lagunculam testeam frangit (coll. c. 19), hac actione significabat, populum Judaicum interiturum esse gladio, fame aliisque calamitatibus; aut si Christus (coll. Matth. 21, 18—20) ficulneam arefecit.

Ad quaestionem, num omnes actiones symbolicae in prophetarum Libris descriptae revera locum habuerint, *affirmative* respondendum est; nam nonnullis aperte adnotatur, homines praesentes fuisse testes, et significationem illarum sciscitatos esse. (Ezech. 12, 1—7 coll. cum vv. 8—16; 24, 1 sqq. coll. cum vv. 19, 37. 20; Jerem. 28, 10 coll. cum vv. 1—5).

§ 4. De s. Scripturae sensibus.

Sensus ss. Scripturarum intelligitur omne illud, quod earum verba ex intentione Spiritus sancti *immediate* vel *mediate* significant et manifestant. Duae igitur sunt sensus scripturistici species: alia Spiritus sanctus immediate per *verba* manifestat, alia interdum mediate per *personas vel res*, quae ipsae verbis immediate manifestatae a Spiritu sancto adhibentur ad alias veritates simul docendas; prior *literalis* (verbalis, immediatus, grammaticus, historicus, logicus, historico-logicus, *σωματικός*), alter *realis* (mediatus, typicus, allegoricus, symbolicus, spiritualis, mysticus, *πνευματικός*) vocatur.

Definiri potest sensus *literalis*: sensus a Spiritu sancto intentus, qui *immediate* sub verbis s. Scripturae continetur.

Sensus *realis* est sensus, qui ex intentione Spiritus sancti in certis rebus, personis et historicis eventibus praeter sensum verbis significatum, continetur. Sensus realis non continetur in verbis ipsis qua talibus iisque nec significatione propria, nec significatione impropria, sed in *realitatibus*, quae verbis significantur.¹⁾

Ob duplicem hunc sensum, alterum obvium in verbis, alterum occultum et sub rebus latentem, Hieronymus Scripturam designari

¹⁾ Cogitatus nempe exprimuntur etiam per »res, quae ad significandum aliquid adhibentur, sicut est lignum, lapis, pecus atque huiusmodi caetera — hae namque ita res sunt, ut aliarum etiam signa sint rerum«. (Aug. de doctrina christ. 1. 2.)

putat per *librum scriptum intus et foris*, qui Ezechieli oblatuſ est. (Ezech. c. 2.)

Communitur hic ſenſuſ occultuſ *typicuſ* vocatur.¹⁾

§ 5. **Senſuſ literalis ſ. Scripturae.**

Senſuſ literalis exprimitur per verba aut in ipſorum ſignificatione *propria* (ſenſuſ propriuſ), e. gr : »Arbor in ignem mittitur« (Matth. 7, 19), aut in verborum ſignificatione *impropria*, figurato dicendi genere (ſenſuſ impropriuſ): »Ignem veni mittere in terram« (Luc. 12, 49). Etiam tropi et figurae, in qualibet lingua uſitatae, ſenſum directe et immediate per verba exprimunt.²⁾

Senſuſ literalis ergo in duas ſpecies dividitur, nempe in ſenſum literalem *proprium* et *improprium*, ſeu *metaphoricum* aut figuratum, prout verba vel accipiuntur in ſua nativa et ordinaria ſignificatione, vel ad aliud ſignificandum ob analogiam aliquam transferuntur. Ex. g.: »Ego et Pater unum ſumus« (Joan. 10, 38) ſumendum ſenſu literali *proprio*. »Ego ſum vitis, voſ palmites« (Joan. 15, 5) ſumendum ſenſu literali *improprio*.³⁾ Quamvis autem in ſenſu metaphorico duplex reſ implicite contineatur, quarum una eſt alteriuſ ſignum, ſenſuſ tamen iſte cum ſenſu myſtico confundi nequit. In hoc enim (myſtico) duae reſ, ſignans et ſignata ſunt ambae verae et a ſacro ſcriptore ut verae et reales traduntur, ut ex. gr. Exod. c. 12 agnuſ paſchaliſ; contra vero in metaphorica locutione reſ ſignans ab auctore non intenditur ceu vera et realiſ, ſed tantum menti lectoriſ obiiicitur ut imago ſenſibiliſ, ſub qua aliquid aliud intelligere debet, ad quod intentio auctoriſ unice terminatur. — Huncce ultimum noſ regulariter *tropicum* nominamuſ, qui ergo ex praegreſſiſ etiam ſenſuſ literaliſ dicenduſ eſt⁴⁾

¹⁾ De typiſ § 8. ſermo recurret.

²⁾ »Per literalem ſenſum poteſt (autem) aliquid ſignificari dupliciter, ſcilicet ſecundum *proprietaem locutioniſ*, ſicut cum dicitur, *homo ridet*, vel ſecundum *ſimilitudinem*, ſicut cum dicitur, *pratium ridet*. Utroque modo utitur Scriptura, ſicut cum dicitur, quantum ad primum, quod *Jeſuſ aſcendit*, et cum dicitur, quod *ſedet a dextris Dei*, quantum ad ſecundum; et ideo ſub ſenſu literali includitur parabolicuſ vel metaphoricuſ. (S. Thom. in Gal. 4. lect. VII.)

³⁾ Cf. *Ubaldi*, Introductio in ſ. Scripturam, Romae, 1886. III, pag. 21.

⁴⁾ Attendatur oportet, etiam verbis tropicis conceptum loquentiſ immediate exprimi; »nam cum Scriptura nominat *Dei brachium*, ſenſuſ literaliſ non eſt, quod in Deo ſit membrum huiuſmodi corporale, ſed id, quod per hoc membrum ſignificatur, ſcilicet virtuſ operatiua«. (S. Thom. Summ. I, qu. 1. a. 10. ad 3); hoc

§ 6. Principia sensus literalis.

1. *Sensus literalis sive proprius, sive improprius in omnibus et singulis s. Scripturae locis admittendus est, et non datur locus, qui sensum literalem non contineret.*¹⁾ Hoc valet de s. Scriptura ut de quolibet alio scripto. Argumentum :

Loca s. Scripturae aut non continent mysticum aliquem sensum, aut continent. Si non continent, evidens profecto est, ea sensum literalem habere: cum enim haec loca sensu mystico careant, si neque literalem haberent, essent prorsus sensu vacua, cum praeter duos illos sensus nullus alius aut sit aut fingi possit. Quid autem absurdius dici potest, quam Spiritum sanctum et scriptores ab eo inspiratos verba sine sensu, aut sine mente sonos protulisse?

2. *Sensus literalis locorum s. Scripturae nunquam potest impossibilia, falsa, repugnantia, Deo indigna continere.* Ubi repugnantiae adesse videntur, aut textus, aut intelligentia legentis vel explicantis corrigatur oportet.

3. *Quilibet Scripturae locus solummodo unum sensum literalem continet.* Homo quidem cum aliis loquens, verbis suis non nisi unum sensum literalem subiicere solet, nisi consulto *amphibolice* loquatur, vel saltem amphiboliam permittat, uti Christus fecit dicens: »Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud« (Joan. 2, 29).

Quum Deus s. Libros per scriptores sacros modo et sermone humano conscribendos voluerit, supponendum est, scriptores sacros eadem ratione cogitata sua cum coetaneis eorumque posteris communicasse; exinde vero sequitur, in s. Scriptura ubique *unicum* tantummodo esse sensum *originarium*.

Spiritus sanctus, qui per auctores inspiratos in s. Scriptura loquitur, pro infinito suo intellectu utique potuit expressionibus et sententiis omnes, quos continere valent, sensus complecti; ast ut *homines*, auditis divini sermonis verbis, etiam omnes illos sensus complectantur ac mente sua humana percipiant, id intendere nec *potuit nec voluit* Spiritus sanctus. Si admitteretur *multiplex* originarius sensus, omnis interpretatio Scripturae s. plane *incerta* redderetur, nec argumentationi ex effatis biblicis *ulla vis* esset, cum

solum enim directe et immediate vocabulo *brachii* manifestare nec ullo modo in propria vocis significatione animum nostrum sistere vel morari voluit.

¹⁾ Contra Origenem.

scilicet cuilibet lectori relictum esset, e quovis loco, quidquid bonum et verum est, pro arbitrio eruere.

Bene insuper distinguendum est inter sensum vere *multiplitem* et inter sensum *foecundum* (Vollsinn) vel *implicitum*. Hic sensus implicitus duplici praesertim ratione in aliquo sensu literali contineri potest, nempe vel *ut pars in toto*, et tunc per simplicem enumerationem erui potest,¹⁾ vel *ut conclusio* in suis praemissis, et tunc per ratiocinium seu argumentando e Scripturae sensu derivatur.

§ 7. Sensus realis.

Sensus realis vel *mysticus*²⁾ ille dicitur, qui sub sensu literali veluti nucleus sub cortice latet. Sensus igitur realis non immediate verbis ipsis, sed mediantibus personis vel rebus exprimitur, quas providentia divina ita disposuit, ut alias personas vel res significant. Praeclare id docet s. *Thomas* dicens³⁾: »Auctor s. Scripturae est Deus, in cuius potestate est, ut non solum voces ad significandum accomodet, quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas. Et ideo, quum in omnibus scientiis voces significant, *hoc habet proprium ista scientia* (theologia), quod ipsae res, significatae per voces, etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus vel literalis. Illa vero significatio, qua res significatae per voces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super literalem fundatur et eum supponit.«

Sensus realis ad Christum ejusque regnum praesens vel futurum pertinens dicitur sensus *typicus*.

§ 8. Typus.

Typus (τύπος⁴⁾ in *genere* est aliqua res, secundum quam alia conficitur, e. gr. figura ista formalis (Modell), ad quam proprie intenta statua formatur.

¹⁾ Sic verborum Ps. 2, 7: »Ego hodie genui te« s. *Paulus* triplicem sensum literalem explicat et tradit: Hebr. 1, 5 de aeterna Christi generatione, Hebr. 5, 5 de aeterno Christi sacerdotio, Act. 13, 32 seqq. de gloriosa Christi resurrectione. (Cf. *Ualdi*, l. c. III, pag. 42.)

²⁾ Α μύω, claudio, doceo res arcanas. unde μυστήριον, doctrina occulta.

³⁾ Summa, I, qu. 1. a. 10.

⁴⁾ Τύπος (a τύπω, cudo), nota impressa, figura. Distinguenda sunt in typo tria momenta: idea, modellus, statua: πρωτότυπος, τύπος, ἔκτυπος = τὸ ἀντίτυπον.

Typus respectu *religioso* est persona, vel res, vel actio, quae ad Christum eiusque regnum praesens vel futurum proxime pertinet.

Typi sunt itaque vel *personales*, uti Adam, Jonas, Melchisedech; vel *reales*, uti arca Noachi, serpens exaltatus in pertica.

Adesse typum seu typicum sensum in quodam loco, nos docet:

a) testimonium ipsorum *V. Testamenti scriptorum, Christi et N. Testamenti auctorum*; nam *Christus*, cuius spiritus (coll. I Petr. 1, 11) per sacros tum V., tum N. T. scriptores loquitur, sui ipsius infallibilis est interpres.¹⁾

b) *Infallibile magisterium Ecclesiae Petro-Apostolicum.*²⁾

c) *Unanimis consensus ss. Patrum.*³⁾

Cavendum est ne *symbola* cum typis *permisceantur*; etenim in his omnino quidem constat, similitudinem esse a Deo intentam, at symbolicae actiones totam suam existendi rationem in hac praefiguratione habuerunt, ut ea sublata iam non essent factae; typi autem suam existendi rationem in se habent, et praefigurativa vis illis est superaddita.

§ 9. Principia sensus mystici.

1. *Sensus mysticus aequae ac sensus literalis a Spiritu s. intentus est.*

2. *Solummodo in s. Scriptura sensus mysticus invenitur, quia solus Deus, primarius auctor s. Scripturae, praeter sensum literalem simul sensum realem seu spirituales certis signis adnectere potest.*

In mente divina conceptus est prototypus; in A. T., resp. etiam in N. T. habetur typus; in N. T. vero, resp. in coelo ektypus vel antitypus.

¹⁾ Sic v. c. *Psalm*o 109, 4 et in epistola ad *Hebraeos* (5, 6. 10; 6, 20; 7, 17) sermo est de *Melchisedech*, qui est typus futuri Messiae. Apud *Isaiam* (53, 7) et in epistola I ad *Corinthios* (5, 7) repraesentatur *agnus paschalis*, qui est Christi Domini typus.

²⁾ Sic concilium *Tridentinum* (Sess. XIV cap. 1) de institutione sacramenti *extremae unctionis* disserens, *sanationem aegrotorum* ope unctionis apud *Marcum* (6, 13) commemoratam, qua *typicam* adumbrationem sacramenti *extremae unctionis*, a *Jacobo* (5, 14. 15) clare propositi, innuit, dum dicit: «*Extremam unctionem esse vere et proprie sacramentum N. T., apud Marcum quidem insinuatam, per Jacobum autem Apostolum . . . fidelibus commendatum ac promulgatum.*»

³⁾ Ss. Patres unanimiter *Melchisedechi sacrificium* in pane et vino oblatum (Gen. 14, 18) exhibent tanquam typum sacrificii a Christo in ultima coena instituti.

3. *In Libris Veteris Testamenti praeter sensum literalem etiam sensus mysticus, et quidem prophético-allegoricus, omnino agnoscendus est.*

Probatur a) e s. Scriptura: Apostolus Paulus Gal. 4, 22 sqq. respectu historiae Abrahami Gen. 16, 15 et 21, 2, seu in duabus eius uxoribus Sara et Hagar earumque filiis Isaaco et Ismaële, mysticam significationem agnoscit: »Quæ sunt«, inquit, »per *allegoriam* dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. Unum quidem in monte Sinai in servitutem generans: quæ est Hagar . . . illa autem, quæ sursum est, Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. Nos autem fratres secundum Isaac promissionis filii sumus . . . Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberavit.«¹⁾

b) Secundum argumentum adducitur e traditione judaica et christiana. Apud Judæos enim exstitit unanimes et constans traditio de mystico ac typico Scripturarum sensu. Traditio Christianorum non minus constans ac certa apparet α) in Liturgia Ecclesiæ²⁾, β) in monumentis archæologicis³⁾, γ) in testimonio et praxi doctorum et interpretum Ecclesiæ.

4. *Sensus mysticus Librorum Veteris Testamenti nec ad omnia indiscriminatim loca extendendus est⁴⁾, nec ad ea tantum coarctandus, quæ ab hagiographis Novi Testamenti mystice explicata fuerunt⁵⁾, sed in omnibus et iis solis locis admittendus est, in quibus sufficienter innotescit intentio Spiritus s., quasdam res vel personas assumptis ac destinatis ad aliquid aliud significandum.*

5. *Sensus mysticus, saltem commemorativus, tropologicus et anagogicus, etiam in Libris Novi Testamenti admittendus est.⁶⁾*

¹⁾ Cf. Colos. 2, 16. 17 coll. cum Hebr. 8, 5.

²⁾ E. gr. e sequentia Missæ SS^{mi} Corporis Christi:

»In figuris præsignatur, — Dum Isaac immolatur,
Agnus Paschæ deputatur, — Datur manna Patribus.«

³⁾ E. gr. Jonas invenitur in catacombis praefigurans Christi sepulturam et resurrectionem.

⁴⁾ Haec proferuntur contra Figuristas, de quibus mox loquimur.

⁵⁾ Contra Antifiguristas.

⁶⁾ SS. Patres (primus verosimiliter *Eucherius* Eppus Lugdunensis, † circa 452) et scholastici quadruplicem sensum ss. Scripturarum distinguebant iuxta verum memorialem:

»*Litera* gesta docet, quid credas *allegoria*,
»*Moralis*, quid agas, quo tendas *anagogia*.«

SS. Patres et clarissimi theologi sensum mysticum e s. Scriptura diligenter eruebant; verum nunquam negabant sensum literalem seu historico-logicum, sed mysticum huicce tamquam certo fundamento superstruebant.

Ad arcendos **abusus** mysticae interpretationis caveatur oportet:

a) *Ne sensus literalis unquam negligatur, aut historiae veritas negetur.* S. Hieronymus talem conatum nihil aliud esse dicit, nisi ludum puerilem.¹⁾

b) *Ne analogia fidei unquam violetur.*

c) *Ne interpretatione mystica textui sacro vis inferatur et analogia inter diversos eventus et veritates e longinquo petatur.*

§ 10. Systemata falsa circa sensum mysticum.

1. **Interpretatio allegorizans**, quae est excessus vel abusus sive mysticae interpretationis proprie dictae, sive accommodationis allegoricae s. Scripturae. In hac parte peccarunt e Catholicis: *Auctor* epistolae Barnabae, *Origenes* eiusque asseclae, *schola Alexandrina*; inter Judaeos: *Philo* Alexandrinus.²⁾

2. Falsum est systema **Figuristarum** et **Antifiguristarum**. *Figuristae*³⁾ saeculo elapso in Gallia docebant, sensum mysticum in omnibus vel fere omnibus locis s. Scripturae latere.

*Antifiguristae*⁴⁾ nimis angustos limites mysticis Scripturae sensibus praefiniebant, docentes, eos non esse extendendos ultra illa loca Veteris Testamenti, quae ab ipsis hagiographis, praesertim Novi Foederis, mystice explicata sunt.

Clarum est, hac divisione distingui sensum literalem — Litera gesta docet — et tres species sensus realis: sensum allegoricum seu commemorativum, tropologicum seu morale (τρόπος, ratio vivendi), et anagogicum, (ἀνάγω, in locum altiore duco). Sensus allegoricus continetur in locis s. Scripturae, quae agunt de *Christo eiusque regno in hac terra*; tropologicus in locis, quae excitant *ad vitam christianam agendam* et anagogicus in locis, quae agunt de *Ecclesia triumphante* in altera vita.

¹⁾ Praef. in comment. in Abdiam.

²⁾ Philoni v. gr. quatuor fluvii horti Eden non erant fluvii veri, sed quatuor virtutes cardinales ethicae platonicae; Sara non erat uxor Abrahami, sed philosophia; Hagar non serva Sarae, sed quidquid ad literas et scientiam refertur.

³⁾ Inter hos eminent Duguet et D'Asfeld, auctores Galli.

⁴⁾ Ab *Leonard*, cui accessit *Fourmont*. Etiam Joan. *Jahn* cum »Enchiridio Hermeneuticae generalis« et *Ariegler*, doctores universitatis Viennensis, huc pertinent.

3. Figuristis cognati erant antiquiores **Foederalistae**, theologi Calvinistae in Hollandia s. XVII illorumque antesignanus Coccejus.¹⁾

4. Systema **Theodori Mopsuesteni**, cui consentit **Hugo Grotius**²⁾, tollit fere omnia loca sic dicta messiana. Damnatum est in concilio Constantinopolitano II a. 553.

5. **Cabbala**³⁾ apud Rabbinos et deinceps apud nonnullos Christianos est methodus quaedam, interpretandi sacram Scripturam, qua e mysticis quibusdam vel conventionalibus verbis et variis verborum hebraicorum syllabarum et literarum comparationibus et calculis mysteria et abditi sententiarum sensus erui intenduntur. Ajunt enim Cabbalistae, Mosem duplicem legem a Deo accepisse: alteram *scriptam*, alteram *oralem*, non scriptam paucissimisque tantum revelandam. Hanc oralem traditionem dicunt esse legis scriptae interpretationem, quam rursus dividunt in *legalem*, quae in Thalmude reperitur et *mysticam*, quam strictiori sensu cabbalisticam seu Cabbalam appellant. Cabbalista Judaeus praecipuus erat Rabbi *Simon Ben Jochai*, qui initio saec. II aerae vulgaris floruit.⁴⁾

Si quaeratur, quid de Cabbala judicandum sit, respondemus, inprimis duo esse distinguenda: a) *Principium fundamentale*, nempe sub cortice verborum Scripturae occultos et profundiores aliquando sensus latere, non est, cur negemus. Quod vero attinet b) *methodum* seu artem, hosc sensus eruendi, iterum distinguendum est α) inter sobriam et *orthodoxam* huius methodi applicationem, qualis invenitur etiam apud nonnullos christianos scriptores, et β) inter *abusum*, quo methodus illa ad inepta quaeque, absurda, superstitiosa, impia convertitur, quemadmodum videre est apud Rabbinos, huius scholae asseclas.

Ecclesia huius ultimi generis libros omnes decreto s. Inquisitionis damnavit, primi generis autem permisit.⁵⁾ Imo in interpretando Apoc. 13, 17. 18 talis explicatio cabbalistica vix caveri potest. Fortasse ope Cabbalae interpretanda sunt etiam sacra quaedam

¹⁾ Coccejus Joannes, proprie *Koch*, auctor theologiae foederativae.

²⁾ Hugo Grotius, proprie de *Groot*.

³⁾ Chaldaica vox, significans doctrinam acceptam, sc. per traditionem.

⁴⁾ Ex hujus dictis et interpretationibus discipuli serius volumen quoddam conflarunt, *Zohar* (Sefer hazzohar) dictum, quod est opus praecipuum cabbalisticum.

⁵⁾ *Sixtus Senensis*, olim Judaeus, deinde Ecclesiae catholicae et ordinis Praedicatorum decus, in Bibliotheca sancta I. II de Cabbala ita scribit: »Ceterum quia ex decreto S. R. Inquisitionis omnes libri ad Cabbalam pertinentes nuper damnati sint, sciendum est, duplicem esse Cabbalam, alteram veram, alteram

poëmata, quae ideo dicuntur *alphabetaria*, quod iuxta alphabeticorum elementorum ordinem disposita sint, ut e. gr. Davidis Psalmi XXV, XXXIV, XXXVII, CXLV, »verba Lamuelis regis« (Prov. XXXI) ac Threni Jeremiae. Huc pertinent et alia quaedam de nonnullis particularibus tam hebraicis quam graecis literis, quales sunt apud Ezechielem (c. 9 vv. 4, 6) *Thau* litera hebraica, signata in frontibus servandorum, et *Alpha et Omega* (Α ρα Ω) graecis characteribus in Apocalypsi Joannis (c. 1 v. 8).¹⁾

§ 11. Sensus accommodatus.

Sensus accommodatus, vel accommodatitius proprie non est sensus s. Scripturae; nam praeter literalem et mysticum nullus alius est, aut cogitari potest in sacris Libris. Appellatur autem accommodatitius ille sensus, qui verbis Scripturae ob aliquam analogiam affingitur praeter mentem auctoris. Sensus talis non est a Spiritu sancto, nec ab auctore sacro intentus, neque rebus mediate continetur, sed ab homine sive verbis sive rebus Scripturae infertur, accommodante aesthetice, ut dicunt, verba vel res Scripturae ad res, quas divinitus non exprimunt, significandas propter quandam analogiam aut similitudinem.

Accommodatio haec *aesthetica* duplici modo fieri potest. Aut nempe inter res ipsas similitudo habetur, ita ut quae de una dicuntur, aliquo modo etiam in alteram quadrent; aut in solis verbis, ita ut scripturistica verba proprio sensu suo privata ad rem omnino diversam significandam detorqueantur. Prior vocatur accommodatio *per extensionem*, altera *per allusionem*. E. gr. Quae de Noë dicuntur: »Inventus est iustus et in tempore iracundiae factus est reconciliatio« (Eccli. 44, 17), dici possunt etiam de aliis sanctis, et revera Ecclesia per extensionem hoc facit in s. Liturgia. Porro verba Ps. 67, 36: »Deus mirabilis in sanctis suis«, i. e. in sanctuario suo, per allusionem saepe ita adhibentur, ac si eis Deus miro modo sese in sanctis hominibus manifestasse diceretur.

falsam. Vera et pia est, quae, ut jam diximus, arcana sacrae Legis mysteria iuxta anagogen elucidat, quam ostendemus necessariam ad divinae Scripturae interpretationem, producentes aliquos ex illustribus tam graecis quam latinis expositoribus, qui ea in explanationibus suis utuntur; hanc ergo nunquam damnavit Ecclesia«.

¹⁾ Cf. Apoc. 21, 6; 22, 13.

Distingui potest igitur sensus accommodatus *literalis et mysticus*, prout vel Scripturae *verba* ad aliquid aliud trahuntur, vel ipsae *res* praeter intentionem auctoris. Haec altera species accommodati sensus a multis vocatur *allegorema*.

§ 12. Principia sensus accommodati.

Accommodatio aethetica locorum s. Scripturae, si iuxta rectas normas fit, licita et laudabilis dicenda est, praesertim quia etiam scriptores sacri verba praecedentium hagiographorum interdum non in suo vero sensu, sed per meram accommodationem allegarunt et suis sermonibus inseruerunt.¹⁾ Etiam Ecclesia adhibet sensum accommodatum in Liturgia. Ita e. gr. verba Gen. 41, 55: »Ite ad Joseph, et quicquid vobis dixerit, facite«, refert ad s. Josephum, nutritium Christi Domini.

Normae vero observandae in usu accommodationis aetheticae sunt sequentes:

1. Sensus accommodatus sit *pius* et solum referat res honestas et religiosas. Verba sacrae Scripturae nunquam accommodanda sunt rebus pravis, absurdis, pravitati et sanctitati verbi Dei repugnantibus. Concilium *Tridentinum*²⁾ hujusmodi abusum damnavit: »Post haec«, inquit, »temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quaeque convertuntur et torquentur verba et sententiae s. Scripturae, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos; mandat et praecipit ad tollendam hujusmodi irreverentiam et contemptum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba s. Scripturae ad haec et similia audeat usurpare: ut omnes hujus generis homines temeratores et violatores verbi Dei iuris et arbitrii poenis per Episcopos coërceantur«.

2. Sensus accommodatus sit *verus*. Cavendum igitur est, ne verba s. Scripturae accommodentur rebus, quamvis honestis, quae tamen nimis alienae sint, aut etiam contrariae menti auctoris, aut quae nullam cum ea habeant analogiam, praeter materialem verborum sonum. Interpretis non est εἰς ἑρμῆσθαι, sed ἐξ ἑρμῆσθαι.

¹⁾ E. g. ex A. T.: Job 2, 6 coll. Amos 8, 9. 10; e N. T.: Matth. 7, 23 coll. Ps. 6, 9; Hebr. 13, 6 accommodatus invenitur sensus Ps. 117, 6; Act. 17, 18 citantur verba poetae gentilis Arati. (Cf. I Cor. 15, 33 (Menander) et Tit. 1, 12 (Epimenides).

²⁾ Sess. IV Decreto de edit. et usu ss. LL.

3. Sensus accommodatus non est ita proponendus, *ac si esset* verus *Scripturae* seu Spiritus s. *sensus*. E. gr. male faciunt, qui ad probandum periculum consortii malorum hominum et utilitatem amicitiae bonorum tanquam divinum mandatum urgent verba Ps. 17, 27. 28: »Cum sancto sanctus eris et cum viro innocente innocens eris . . . et cum perverso perverteris.«¹⁾

§ 13. De locis Veteris Testamenti in Novo Foedere obviis.

Loca Veteris Testamenti in Novo Foedere vario modo et fine adferuntur.

1. Si *modus* consideratur, ille est *formalis*, vel *non formalis*; formalis, si loca V. Testamenti inducuntur certis iisque variis formulis²⁾; non formalis, si ad s. Scripturam in genere provocatur vel effata biblica absque citandi formula cum loquentis dictis immediate coniunguntur, vel ad V. Testamenti personas et historias respicitur, ceu ad typos N. Testamenti, vel ad analogia phaenomena cum iis coniungenda.

2. Si ipsa allegata *loca* V. Testamenti respiciuntur, modus allegationis est vel *accuratus*, vel *minus accuratus*, i. e. loca allata aut cum versione Septuaginta tum quoad sensum tum quoad verba accurate, imo contra textum hebraicum consentiunt, aut solum illius sensum exprimunt, aut magis cum textu hebraico concordant, aut libere usurpantur, vel e memoria petita adhibentur, aut more rabbinico duo effata se integrantia vel illustrantia combinata repraesentant, aut denique plurium dictorum sensum exprimunt.

3. Quod attinet ad *finem*, ist est vel

a) *citandi*, ut ope effati divini demonstraretur veritas dictorum; vel

b) *applicandi*, ut doctrina s. Scripturae dictis illustretur; vel

c) *accommodandi*, ut cogitata scribentis exprimantur verbis Scripturae sacrae.

¹⁾ Cf. hac in causa agendi rationem s. Francisci Salesii, descriptam in »Drobtinice«, 1889, pg. 145 sq.

²⁾ V. c. hoc factum est, ut impleretur; dictum per prophetas, ut impleteretur Scriptura; scriptum est, ut etc.

§ 14. De locorum Veteris Testamenti, in Novo Foedere allatorum, interpretatione.

Quoad interpretationem locorum Veteris Testamenti, in Novo Foedere allatorum, sequens valet regula:

Interpretis est: 1. Sensum eiusmodi loci, in Novo Testamento contentum, adhibitis communibus Hermeneuticae regulis, *invenire*.

2. Inquirere ac determinare, *quem in finem* locus Veteris Testamenti afferatur, nempe num in finem citationis, applicationis, an accommodationis.

Jesu aut scriptori s., qui *citandi* consilium habet, persuasum est, sensum, quem loco cuidam Veteris Testamenti subiicit, si non ab ipso auctore humano, tamen certo a Spiritu s. esse spectatum, quem proinde et interpretes tenere debet ceu objective verum. E. gr. Matth. 13, 34. 35: »Haec omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas et sine parabolis non loquebatur eis, ut impleretur, quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi.« (Psalmista¹⁾) his verbis non quidem directe et voce, sed sua agendi ratione vaticinatus est, Messiam in parabolis locuturum esse, quatenus historiam populi israelitici usque ad Davidem proposuit per sententias acutas prorsusque novas, sub quibus latebant veritates sublimiores, ad regnum messianum spectantes.

Loquentem *citandi* habere consilium, cognoscitur partim e verbis allegationis, dum *directa*²⁾ vel *indirecta*³⁾ formula citandi adhibetur, partim e *natura rei*, cum v. g. loca ipsa ceu prophetiae, eventibus adimpletae, sistuntur;⁴⁾ aut tamquam praecepta divina, normae vitae religiosae ac moralis, proponuntur, aut in sententiarum allatarum comprobationem adhibentur.

Praeterea interpretis est, in eiusmodi locis, quae loquens ceu prophetias eventuum narratorum affert, investigare prophetiae *speciem*; nam quadruplici modo prophetia adimpletur, et quidem:

¹⁾ Ps. 77, 2.

²⁾ E. gr. Τοῦτο γέγονε, ἵνα πληρωθῆ τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος (Matth. 1, 22; 2, 23 al.)

³⁾ Rom. 9, 7: »Neque, qui semen sunt Abrahae, omnes filii; sed in Isaac vocabitur tibi semen«. Cf. Gen. 21, 12.

⁴⁾ Matth. 1, 23 coll. Is. 7, 14: »Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.«

- a) si id ipsum fit, quod erat praedictum (*prophetia immediata*);
 b) si id, quod jam in figura vel in typo evenit, in re praefigurata contingit (*prophetia mediata seu typica*);
 c) si, quod de personis quibusdam propter certam earum indolem et peculiaria adjuncta dictum erat et impletum, similes ob causas denuo accedit seu repetitur (*prophetia continuata*); denique
 d) si effatum, quod imperfecte aut verbis improprie intellectis impletum erat, alio eventu perfecte et sensu proprio completur (*prophetia completiva, praegnans*).

Prophetia immediata etiam *directa*, reliquae vero species *indirectae* dicuntur.¹⁾

Locum V. T. continere prophetiam *messianam*, cognoscitur

1. Ex indiciis *internis*, quae suppeditat materia substrata ipsius loci prophetici. Si scilicet cuidam talia tribuuntur praedicata, quae nulli personae historicae, nisi Christo conveniunt, est haec prophetia messiana immediata. V. c. Ps. 2; Jes. 7, 14.

2. Ex indiciis *externis*, quae continentur in unanimi consensu ss. Patrum et Ecclesiae fide, cui saepissime Judaeorum quoque interpretatio traditionalis patrocinator. V. c. Jes. 7, 14, quem locum antiqui Judaei immediate messianum habebant, uti docent Septuaginta versores Alex., qui vocem hebraicam (haal'máh) per παρθένος (virgo illibata) reddiderunt.

¹⁾ Hac de re *Maldonatus* ita scribit in Comm. in Matth. 2, 15: »Prophetia quatuor modis impleri potest: 1. Quum *idipsum* fit, de quo prophetia a Spiritu s., vel hagiographo proprio et literalis sensu intelligebatur, sicut Matthaeus (1, 22) dicit impletam fuisse in Maria Isaiiae prophetiam (7, 14): »Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel«. 2. Quum id fit, quod prophetia *sensu mystico* vel typico intelligi voluit, ut II Reg. 7, 14: »Ego ero illi in Patrem et ipse erit mihi in filium«, quod proprie de Salomone dictum est, divus tamen Paulus de Christo, cuius typus Salomon erat, interpretatur (Hebr. 1, 6.) Item de agno paschali (Ex. 12, 46 coll. Joan. 19, 36: »Os non comminuetis ex eo«. 3. Quum nec id fit, de quo proprie intelligitur prophetia, nec id quod per illud significatur, sed quod illi *simile* est, et omnino huiusmodi, ut prophetia non minus apte de eo, quam de quo dicta est, dici potuisse videatur. E. g.: »Populus hic labiis me honorat«, dixit Deus per Isaiam (29, 13) Judaeis, temporibus isaianis viventibus, Christus autem in iis, qui suo tempore erant, Judaeis impletum significat (Matth. 15, 7. 8). 4. Quum *idipsum*, quod per prophetiam aut Scripturam dictum erat, quamvis iam factum fuerit, tamen magis ac magis et *cumulatissime* fit. E. g. illud Oseae (11, 1): »Ex Aegypto vocavi filium meum«, proprie de populo Israel valet, quem Deus filium suum primogenitum appellare solet (cf. Ex. 4, 22 etc.); apud Matth. (2, 15) autem dicitur impletum in infante Jesu in Aegypto commorato indeque Nazarethum veniente.«

Pars secunda.

Heuristica.

Prolatis de sensu s. Scripturae eiusque speciebus scitu necessariis, jam regulas enarremus, quibus memorati sensus patefiant. Monemus autem, regulas istas solummodo circa sensum *literalem* versari; nam hocce invento, difficile non erit, etiam sensum *realem*, in locis ubi adsit, determinare.

In tractanda vero hac parte de sensu inveniendi ita versabimur, ut primo de principiis *rationalibus*, dein vero de principiis *dogmaticis* acturi simus.

§ 15. Supremum Hermeneuticae communis et biblicae principium.

Principium generatim dicitur propositio, quae est fundamentum et norma *plurium* ejusdem generis veritatum; *primum* vero vel *supremum* principium est illud, quod *omnium* veritatum ejusdem generis rationem ultimam in se continet.

Sicut omnis scientia, ita *Hermeneutica* supremo cuidam principio innititur, alias non foret scientia.

Principium *supremum* Hermeneuticae *communis* est: *Sensum auctoris ope usus loquendi, orationis contextus et conditionis loquentis cognosce et pande.*

Quia Libri sacri non tantum *humanae*, sed propter inspirationem sacrorum auctorum etiam *divinae* originis sunt, sequitur, in interpretanda s. Scriptura, praeter leges interpretandi *universales*, etiam *peculiares*, quae consequuntur e *divina* s. Scripturae origine, *attendendas esse.*

Hinc supremum Hermeneuticae *biblicae* principium *catholicum* audiet: *Erue et propone e s. Scriptura sensum, quem auctores biblici, a Spiritu s. inspirati, intendebant.*

Quum autem revelationem, divinitus concessam et ab auctoribus inspiratis *ex parte* literis consignatam, Deus tanquam depositum doctrinae fidei *Ecclesiae* tradiderit, quam *infallibilitate* donavit et totius doctrinae revelatae *custodem* et *iudicem* instituit, s. Scriptura

ad *Ecclesiam* spectat, et ideo interpres in Scriptura s. interpretanda respicere tenetur *sensum* (mentem) *Ecclesiae*. Inde vero sequitur, quod interpreti in Scriptura s. interpretanda attendendum sit ad *commune* interpretandi principium et ad *sensum Ecclesiae*; et proin *formale principium* supremum *catholicum* in Scriptura s. interpretanda est sequens: *Sacram Scripturam ope regularum communis interpretandi principii iuxta sensum Ecclesiae catholicae interpretare.*

Et si Scriptura ita exponitur, expositio est *iuxta mentem Spiritus sancti*, quem Ecclesia accepit et ceu vitae principium in se conservat.

A. Principia rationalia.

I. De sensu inveniando ope usus loquendi.

§ 16. Usus loquendi eiusque origo.

Quicumque cogitata sua, sive loquendo, sive scribendo, aliis manifestare cupit, sequentia debet observare:

1. Cum singulis vocabulis aut formulis eas coniungat notiones, quas ipsius auditores aut lectores cum illis coniungere solent, seu servet **usum loquendi**, qui est constans modus, eadem vocabula cum iisdem notionibus coniungendi. Si hanc legem negligeret, mutuam cogitationum commercium impossibile redderet.

2. Quum notiones, vocabulis expressae, plerumque variae et vagae sint, vocabula et propositiones tali relatione conjungere debet, ut oratio convenientem imaginem cogitatum loquentis reddat audienti. Nam quaevis oratio non est, nisi imago cogitatum, quos loquens vocabulis ceu corporibus induit, ut ab aliis percipiantur.

Si **originem** usus loquendi, seu, quod idem est, originem linguae quaeras, sequentia teneas oportet: ¹⁾

¹⁾ Notare juvat duos errores circa originem usus loquendi:

1. *Traditionalistae* (De Bonald) docent, primum hominem a Deo, cum illo colloquente, loquelam successive didicisse, uti nunc infans a matre vel ab educatore eam discit.

2. *Materialistae* autem contendunt, non esse discrimen essentielle inter hominum linguam et animalium, sed tantum graduale. Perfectionem loquellae humanae vero explicare conantur alii per theoriam *imitationis* (Nachahmungstheorie), alii per theoriam *interjectionum* (Interjectionaltheorie). (Cf. Stöckl, Philosophie, I, pg. 94 sqq. Cf. etiam Güttler, Naturforschung u. Bibel, pg. 237 sqq.)

1. Origo *primitivae* linguae est divina, uti e s. Scriptura (Gen. 2, 19—24) edocemur. Adam, cum adhuc solus esset, statim animalibus et dein uxori sibi junctae nomen dedit, usus lingua, sibi divinitus donata, ergo non successive, nec relatione vel commercio cum aliis, qui nondum erant, nec sola ope diuturnae meditationis et studii linguam invenit.

2. Sed *variarum*¹⁾ etiam linguarum originem a Deo derivare, caedem ss. Literae narrant. Quum scilicet (coll. Gen. 11, 1—9) homines degeneres exstruenda permagna civitate turrique vanam sibi gloriam quaererent, Deus, superbiam puniturus, confudit linguam eorum effecitque inter eos varietatem linguarum.

Poena autem haec pro divina sapientia simul habuit *finem salutarem*: a) ut genus humanum per totum orbem terrarum pedetentim propagaretur; et b) ut genus humanum non tantum per physica montium, desertorum et marium obstacula, sed etiam per spirituale diversorum linguae idiomatum impedimentum ab universali corruptione praeservaretur sicque obex poneretur, quominus virus perversionis moralis in totalitate humanae societatis disseminari posset.

§ 17. Usus loquendi necessitas et varia divisio.

Dum variarum linguarum originem Deo adscribimus, minime asserimus, idiomatica varia diversis populis plena et perfecta divinitus ita fuisse suppeditata, uti protoparentibus sermonis donum actu

¹⁾ Unitas linguae primaevae non potest addubitari. S. Scriptura enim clare dicit: »Erat autem terra labii unius et sermonum eorundem« (Gen. 11, 1.) Haec unitas constabat in unitate »sermonum« — d'barim —, i. e. *radicum*, et in unitate »labii« — saphah —, i. e. *formae* linguae. Pluralitas linguarum enata est voluntate et decreto divino: »Venite, descendamus et confundamus ibi linguam eorum« — s'phatam —, i. e. formam linguae, »ne audiat (intelligat) unusquisque vocem proximi sui« — s'phat reehu —, i. e. alterius linguae formam (Gen. 11, 7.) Versu 9 iuxta textum originale ulterius dicitur: »Idcirco vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confudit Dominus Deus labium univerae terrae« — s'phat kol-haarez. De confusione d'barim — radicum — textus omnino tacet. Quapropter concludimus, substantiam varietatis linguarum in diversa earum forma reponi, servata identitate materiae seu radicum linguae primaevae. Miraculi autem rationem confusio babelica in eo habet, quod linguae alteratio *uno tempore unoque loco* divinitus adducta fuit, licet fors etiam modo naturali, sed successive tantum et mutatis hominum sedibus, locum obtinisset. *Stabilitas* vero confusionis linguae tribuenda est causis physicis: variis sedibus hominum, climatibus, temporis vicissitudinibus et aliis similibus causis.

creationis divino in paradiso concessum erat. Potius *successiva linguarum cultura* ab hominibus producta est, seu ab hominum arbitrio pendebat, ut certis vocabulis certae notiones subiicerentur, ideo vocabula recte dicuntur *arbitraria* notionum signa. Inde vero etiam elucet, nexum inter vocabula eorumque significationes non esse *absolute* necessarium, sed usum loquendi **hypothetica** tantum **necessitate** niti. Quodsi usus loquendi niteretur absoluta necessitate, *una*, non *diversae* essent in mundo linguae.

At quamvis arbitrio locus esset in nexu illo inter vocabula et significationes inveniendos et ex aliorum parte adprobando, acceptus semel ab hominibus secum conversantibus nexus ille constanter et firmiter *servandus* erat, ne commercium cogitationum inter colloquentes desinat, et confusio nova oriatur babilonica.

Sicut, qui totum aliquod cognoscere vult, singulas eius partes perspectas habeat necesse est, ita etiam, qui sensum orationis cuiuscunque cognoscere desiderat, singularum eius *partium*, i. e. vocum, formarum et formularum, quatenus significationum signa sunt, potestatem sciat necesse est. Cum vero hanc usus loquendi doceat, patet eundem interpreti ante omnia rite cognoscendum et probe respiciendum esse; nam hoc facto interpretis certus esse potest, rectam et tutam viam sibi patere, qua ad cognitionem sensus loquentis perveniat.

Usus loquendi **distinguitur** vel a) *communis*, quem omnes homines, eadem lingua utentes, sequuntur; vel b) *peculiaris*, qui certae hominum classi proprius est. Porro ille est vel α) *cultior*, si nexus inter voces earumque formas et ordinem, et inter significationes, earum relationes et modos ad solidas linguae leges exacte compositus est; β) *popularis* autem vocatur, quem in vita communi adhibent homines, si non tam severe leges istas sequuntur.

§ 18. Fontes et subsidia usus loquendi.

Ad certam cognitionem usus loquendi linguae adhuc *vivae* pervenimus attendendo vel quaerendo, quaenam significationes cum certis vocabulis, formis aut formulis conjungi soleant.

In lingua autem *emortua* id testimoniis erit assequendum.

Testimonia haec (**fontes** usus loquendi) sunt vel *immediata* vel *mediata*.

a) *Immediata* sunt *lexica, scholia, glossae, versiones* et *commentarii*, qui ex illa aetate descendunt, qua lingua (nunc emortua) adhuc erat *viva*.

b) *Mediata* sunt *lexica, scholia, glossae, versiones* et *commentarii*, qui ex illa aetate ad nos pervenerunt, qua lingua (nunc emortua) ab illis adhuc *docebatur*, quibus vel erat *vernacula*, vel qui eam a *talibus* didicerant.

Inter **subsidia** ad usum loquendi cognoscendum pertinent:

a) *Etymologia* et *analogia linguae*,

b) *Dialecti cognatae* et

c) *Propria lectio*.

1. **Etymologia** linguae est derivatio significationis vel primigeniae ex elementis et radice vocis, vel secundariae e primigenia ob affinitatis nexum inter res indicatas intercedentem.

Analogia linguae est congruentia significationis formae alicujus aut formulae cum majori vel minori numero similium formarum aut formularum ejusdem potestatis.

Usus etymologiae et analogiae linguae in determinandis vocabulorum significationibus non est constitutivus, sed tantum *subsidiarius*, quia neutra certam cognitionem significationum exhibet.

Attamen etymologiae et analogiae studium commendatur, tum ob hunc usum subsidiarium, quum etymologia possibilem, analogia vero probabilem significationem doceat; tum etiam, quia etymologia memoriam juvat in retinendis pluribus unius vocis significationibus, quia ex elementis recordatio originariae et per similitudinem secundariarum significationum facilius fit.

Etymologia et analogia linguae interpreti tunc maxime prosunt, quum usus loquendi non sat clarus et certus est. Dum enim docent, quae significatio vocis, ex usu loquendi non definitae, convenire possit et probabiliter conveniat, defectum supplet testimoniorum, in quantum id fieri potest.

2. **Dialecti cognatae** sunt subsidia alterius classis in cognitione usus loquendi, vel quia e communi stipite natae sunt, uti Graecorum et Semitarum dialecti, aut ab invicem procreatae, uti graeca latina, germanica, linguae slavicae etc. Sed dialectis cognatis in determinandis significationibus vocum tantum *heuristicum* (inventivum), non definitivum aut constitutivum usum tribuimus; nam negari non potest, cuivis dialecto multa esse propria et ideo eadem

vocabula et multo magis affinia in diversis dialectis diversas habere significationes.

Corollarium: Quum usus loquendi certam praebeat significationum cognitionem, dialecti cognatae vero, etymologia et analogia nonnisi possibilem aut probabilem, — patet, eum, qui praeter usum loquendi, vel plane contra eum, dialectos cognatas, et etymologiam aut analogiam linguae sequitur, manifeste peccare contra leges logicas, utpote qui probabile, imo possibile tantum praeferat certo. Interpretatio itaque contra usum loquendi, vel neglecto usu loquendi suscepta, nunquam admitti potest, ubicunque usus loquendi plane cognitus est, quamvis illa vel dialectis cognatis, vel etymologia et analogia, vel omnibus simul nitatur.

3. **Propria lectio.** Propria librorum in hac ipsa lingua exstantium lectio ad cognoscendum usum loquendi bene commendari meretur, quia haud raro vocabula obscuriora aliis locis per clariora, vel per logicam plane definitionem, vel per circumscriptionem explicantur, vel saltem tali in contextu leguntur, qui unicam tantum notionem admittit.

§ 19. De usu loquendi biblico directe considerato in textibus et linguis originariis s. Scripturae.

Linguae originariae s. Scripturae sunt tres: *hebraica*, *chaldaica* et *graeca*. *Hebraica* quidem lingua Libri omnes protocanonici Veteris Testamenti exarati sunt et in eadem lingua adhuc prostant, et constituunt proprie dictum textum hebraicum. *Chaldaica* lingua licet quidem integri Libri conscripti fuerint (Tobias, Judith), tamen nonnisi aliqua capita in Canone exstant, puta in Libro Danielis 2, 4—7, 28 et in Libro I Esdrae 4, 8—7, 26. Demum *graccam* linguam praeserunt septem Libri deuterocanonici ejusdem V. Testamenti et integrum N. Testamentum.¹⁾

¹⁾ Nonnulli horum librorum a suis auctoribus prodierunt lingua aliqua semitica, i. e. vel hebraica, ut Baruch, I Macchabaeorum et Ecclesiasticus, vel chaldaica, ut Judith et Tobias, vel dialecto syro-chaldaica, ut evangelium s. Matthaei; nunc tamen, deperdito originali textu, horum librorum graeca versio ad instar textus originarii habetur; caeteri vero, nempe ex A. Testamento: Sap. et II Macch. et e N. Testamento omnes, excepto evangelio s. Matthaei, originarie in lingua graeca exarati sunt.

a) De indole hebraici textus s. Scripturae.

Lingua hebraica ad illam linguarum familiam pertinet, quas veteres solebant *orientales* appellare, recentiores vero *semiticas* vocant, quamvis neutra appellatio accurata sit; nam ad has linguas, etsi dicantur orientales, pertinet etiam aethiopica et punica; ex alia vero parte Canaanaei, etsi chamitico genere, eodem tamen semitico sermone, qui nunc hebraicus est, utebantur.

Praecipuus huius familiae ramus constituitur ipsa lingua *hebraica*, una cum *phoenicia* et *punica*, seu carthaginensi, quae vix ab ea differebant, et dialecto thalmudistica, seu *neo-hebraica*, quam recentiores Rabbini e veteri lingua sibi efformarunt, admixtis quibusdam elementis extraneis ac formis nonnullis leviter immutatis.

Universim inspecta hebraica lingua cum in copia verborum tum in numero et distinctione formarum grammaticalium arabica longe inferior est, aramaicam vero vel aequat, vel paullisper antecedit.

Observatur quidem aliqua *diversitas* hebraicae linguae in variis Libris V. Testamenti, quod non mirum videri potest, cum conscriptio omnium Librorum horum spatio duodecim fere saeculorum decurrat. Et quidem in Pentateucho, antiquissimo inter Hebraeorum scripta, multi occurrunt *archaismi*, sive in vocibus, sive in formis. In posterioribus etiam Libris aliqua differentia observatur, praepremis in Libris circa tempus captivitatis babilonicae, vel postea conscriptis. In illis enim plus minusve recurrunt elementa peregrina, imprimis aramaica, donec in posterioribus Libris integrae pericopae aramaica dialecto exaratae occurrunt.¹⁾

b) De indole chaldaici textus s. Scripturae.

In pericopis chaldaicis s. Scripturae attendenda est peculiaris indoles dialecti *aramaicae*, quae per Babyloniam in usu erat. Continent nempe hae pericopae plerumque sermones, vel epistolas vel decreta ex aula regum Babylonis profecta.

¹⁾ In hoc etiam causa sita est, cur in Libris N. Testamenti ἡ Ἑβραϊκὴ διάλεκτος aramaica lingua intelligatur, hebraicoque nomine proferantur verba aramaica: Ἀββῆ, Rom. 8. 15; Ἀνελεθάμα, Act. 1, 19; Μαρὰν ἀθά, I Cor. 16, 22; Ταλιθὰ κοῦμι, Marc. 5, 41 al. Ipsum autem nomen »Hebraei« postea non iam usurpatum est, nisi a Christianis; nam qui ex Judaeis de ea disseruerunt, nomen ei dederunt ἡ σὺν κώδεσς, i. e. »lingua sancta«.

Differt tamen lingua chaldaica s. Scripturae tum a dialecto aramaica, tum a lingua paraphraseon chaldaicarum, e quibus tantum paraphrasis seu Targum Onkelosi ad chaldaismum biblicum propius accedit. Differentia linguae chaldaicae biblicae a dialecto aramaica ex influxu, quem lingua hebraica, Esdrae et Danieli familiaris, exercuerit, explicari potest. Fortasse etiam Massorethae per punctationem hebraicam, hisce partibus applicatam, aliquam immutationem, saltem in pronunciatione et in externo habitu verborum, in easdem invexerunt.

c) De nomine et indole graecitatis s. Scripturae.

1. *Lingua graeca* s. Scripturae communiter vocari solet dialectus *hellenistica*, vel idioma hellenicum. Nomen hoc derivatur ab ἑλληνιστής, quod Judaeum exterum, graece loquentem significat.

Hinc inde lingua graeca s. Scripturae dialectus *alexandrina* vocatur, quia eadem fere est, ac versionis V. T. »Septuaginta«, quae Alexandriae confecta est. Quum autem dialectus communis, »διὰ ἑκτοῦ κοινῆς«, i. e. lingua graeca tempore Christi in prosa librorum adhibita, inde ab Alexandri M. temporibus fere universalis, passim etiam alexandrina vocari soleat, cavendum est, ne in usu hujus nominis plane diversa confundantur.

Ad rite designandum idioma N. Testamenti, ut elementi ejus christiani ratio habeatur, placet nomen dialectus *hellenistico-christiana*.

2. Quoad *indolem* graecitatis s. Scripturae controversia extitit, imprimis saeculo XVII, praesertim inter Protestantes. Nonnulli enim, *Puristae* dicti, contendebant, sermonem graecum, quo sacri Libri exarati sunt, classicum dicendum esse; alii ex adverso, qui *Hebraistae* vocabantur, asserebant, eosdem Libros a pura graecitate longissime distare propter hebraismos, aramaismos aliaque heterogenea elementa, graeco sermoni commixta. Ut fieri solet in huiusmodi controversiis, ex utraque parte exaggeratum est. Nunc jam inter omnes convenit, idioma s. Scripturae graecum non referre quidem puram, classicam graecitatem, sed esse deterius, quam fuerat olim classicorum Graeciae scriptorum; referre quidem sic dictam *dialectum communem*, commixtam cum dialecto *vulgari*, nec non variis *provincialismis*, (dialecto attica, dorica, jonica, aeolica, macedonica, syracusana). Simul continet elementa peregrina, uti *aramaismos*, *hebraismos*, *rabbiniismos*, *latinismos*, *christianismos*, imo et paucas

voces *persicas*. Quidam etiam loquuntur de *cyrenaismis*, *cilicismis* et *syriasmis*.

Relate ad *characterem individualement* scribendi modi auctorum N. Testamenti possumus similitudinem aliquam notare *a)* inter synopticos Matthaeum, Marcum et Lucam; *b)* inter Petrum, Judam et Jacobum, et *c)* inter Joannem et Paulum.

§ 20. De fontibus et subsidiis cognoscendi usum loquendi s. Scripturae.

1. Quatenus est hebraicus, resp. chaldaicus.

Fontes quod attinet, ii possunt considerari *directi* et *indirecti*.

Directi fontes nulli sunt praeter Libros V. Foederis: tota enim literatura rabbinico-hebraica pertinet ad aetatem, longe posterioriorem fato linguae hebraicae.

Fontes vero *indirecti* seu mediati, qui domesticam traditionem in scholis judaicas conservatam repraesentant, sunt praecipue: antiquae *versiones*¹⁾, codices *Thalmudici* et *Midraschici*, seu expositiones allegoricae, a Judaeorum doctoribus vulgatae, libri *grammaticorum* et *exegetarum* judaicorum, e. gr. *David Kimchi* et *Eliae Levitae*, *Massora* et denique *christiani* doctores, qui linguae notitiam a Judaeorum magistris hauserant, uti sunt inprimis *Origenes* et s. *Hieronymus*. Sponte patet, respicienda esse etiam subsidia interna, id est etymologiam, analogiam et dialectos cognatas.

Quod pertinet ad antiquitatem, difficile est definire, utrum hebraica, an aramaica, vel arabica lingua per se antiquior sit; verum relate ad nostram cognitionem aramaica lingua sub hoc respectu ceteris praestat: ex ea enim supersunt monumenta coeva hebraicis Scripturae Libris, uti sunt partes chaldaicae Danielis et Esdrae, quibus addi possunt antiquae Assyriorum inscriptiones

¹⁾ Septuaginta, Aquilae, Symmachi, Theodotionis, caeterae hexaplares, nempe »Quinta«, »Sexta«, »Septima«, a loco, quo in hexaplis Origenis positae sunt, sic nominatae. His accedunt paraphrases chaldaicae, Targumin dictae, inprimis Targum Onkelosi in Pentateuchum, quod Christi aetate antiquius creditur et Targum Jonathanis in Prophetas, quod priori proxime accedit, sive aetate, sive fidelitate in sensu verborum reddendo. Has excipiunt versio syriaca Peschito (simplex) et versio Hieronymiana Vulgata.

cuneiformibus literis (Keilschrift) exaratae, et fortasse etiam Targum Onkelosi. E contra vero monumenta arabicae linguae vix saeculo VI aerae christianae incipiunt. Etiam aethyopicae linguae nonnisi christiana monumenta inde a saeculo IV supersunt.

2. Quatenus est graecus.

Quatenus usus loquendi s. Scripturae est graecus, fontes ei cognoscendo sunt:

- a) libri auctorum *graecorum* in genere, tum illorum, qui ante Christum vixerunt ¹⁾, tum eorum, qui post Christum floruerunt ²⁾;
- b) opera *Josephi Flavii* ³⁾ et *Philonis Alexandrini*.⁴⁾

3. Quatenus est christianus.

Quatenus usus loquendi s. Scripturae est christianus, revocari potest ad *Scripturam* s. et scripta *Patrum Apostolicorum*, quae omnia graeca sunt. Ipsa tamen lectio Librorum Novi Testamenti et attenta comparatio locorum ad noscendum usum loquendi fere sufficit.

Nec praetereundi sunt scholiastae et glossatores, qui non tantum usum loquendi graecum in genere, sed et peculiarem Novi Testamenti illustrare conati sunt, uti *Hesychius* ⁵⁾, *Suidas* ⁶⁾, *auctor* etymo-

¹⁾ E. g. *Aristoteles*, Alexandri M. magister; *Polybius*, qui circa a. 200 a. Chr. floruit; *Diodorus* Siculus, Julio Caesari coaevus.

²⁾ V. c. *Arianus*, Hadriano (117—138), a quo praetor factus, coaevus fuit; *Herodianus*, qui styli simplicitate prae caeteris eminet et circa a. 200 p. Chr. floruit; *Thucydides* praeprius ad s. Pauli dictionem illustrandam commendatur. Neque negligendi sunt hoc sub respectu ss. *Patres* et *scriptores* Ecclesiae graeci.

³⁾ *Josephus Flavius* n. a. 37 p. Chr. e genere sacerdotali, inde ab a. 56 p. Chr. vixit Hierosolymis, bene noverat historiam Iudaeorum sacram et profanam, fuit initio belli judaici dux partis exercitus judaici in Galilaea, serius suscepti officia romana, quibus Romanorum gratiam et praemia cumulata nactus est.

⁴⁾ *Philo* Alexandrinus natus circa a. 20 a. Chr., mortuus circa 50 p. Chr., philosophus et apologeta judaicus, vivens Alexandriae, eruditus in scientiis gentilium, nec minus Iudaeorum literis et in historia populi electi. Varia confecit opera philosophica, apologetica, exegetica et historica.

⁵⁾ *Hesychius* Alexandrinus floruit saec. IV p. Chr., composuit circa a. 380 ex antiquis Graecorum grammaticis, glossis et scriptis classicis »Lexicon«. Editio novissima procurata est a Mauro Schmidt, Jenae, 1858—1868, 5 t. 4^o; edit. alt. ib. 1867.

⁶⁾ *Suidas*, grammaticus graecus, vixit circa finem saec. X, composuit »Lexicon«, simile operi Hesychii, recenter editum a Godefriedo Bernhardy, Hallae, 1834.

logici magni, circa finem saec. X, vel initio saec. XI vivens, *Phavorinus*.¹⁾

4. Quatenus est singulis hagiographis proprius.

Demum ut est dictio singulis s. Scripturae hagiographis propria, eius usus addiscendus est sive e diligenti consideratione et quadam familiaritate in lectione uniuscuiusque Libri, sive ex expositionibus et observationibus veterum doctorum.

§ 21. De usu loquendi biblico indirecte considerato in versione authentica Vulgata.

Statim ac evangelium per occidentales imperii romani partes: Italiam, Africam, Hispaniam et Galliam disseminatum atque Liturgia in lingua *latina* celebrari coepta est, s. Scripturae in eandem sunt translatae.

Inter immediatas N. Testamenti versiones *antiquitate et auctoritate* eminet latina versio, quae dicitur »*Itala*«, et quae saeculo secundo vel in Italia confecta, vel oriunda quidem ex Africa proconsulari, summam dein in Italia nacta est auctoritatem.

De antiquae huius latinae versionis **usu loquendi** iudicium ferre, perdifficile est, quia nec originaliter pura nec integra est conservata. E superstitionibus tamen fragmentis satis patet, linguam quidem in omnibus Libris fuisse rusticam illam et plebeiam, qua plebs minus culta et provinciales utebantur, dicendi genus vero non in omnibus fragmentis idem esse, ita ut versionem varios auctores habere certum sit.

Satis magnam esse differentiam inter Italiae linguam interque eam, qua romani scriptores saec. II usi sunt, illae partes, quae in Vulgatam nostram sunt receptae²⁾, demonstrant.³⁾

¹⁾ *Phavorinus* oriundus e Camerino in Umbria, † 1537, excerptendo ex Hesychio et Suida composuit novum »Lexicon«.

Glossas ab ultimis quatuor auctoribus notatas singulari libro *Ernesti* complexus est opere, cui titulus: »Suidae et Phavorini glossae sacrae cum spicilegio glossarum Hesychii et etymologici magni«, Lipsiae, 1781—1787.

²⁾ Baruch, Sap., Eccli., I et II Macch., nec non partes deuterocanonicae LL. Daniel et Esther.

³⁾ A grammaticis inter alias hae proprietates Italiae notantur:

a) Vocabula pleniora amat, inter quae substantiva terminata in *mentum*, *men*, *monium*, *arium*, *culum*, *ura* etc., (ex. gr. *aeramentum*, *vitulamen*, *gaudi-*

Quum textus Italiae procedente tempore depravatus esset, Papa *Damasus s. Hieronymus* latinam versionem emendare iussit. Praecepto obsequutus Hieronymus revera a. 383 Evangelia ac mox integrum Novum Testamentum, collatis antiquis codicibus graecis, correxit.¹⁾

Post s. Damasi mortem in Orientem reversus omnes V. T. Libros secundum hexaplarem Origenis textum emendavit. Quibus non contentus, »ut suae linguae homines scirent, quid hebraica veritas contineret«, s. Doctor ex ipso textu hebraico novam protocanonicorum Librorum versionem comparare statuit. A. 389 igitur in bethlehemitica sua solitudine a Libris Regum vertendis exorsus, quindecim annorum spatio omnes protocanonicos et duos deutero-canonicos (Tobiam et Judith) feliciter absolvit.

monium, capillatura etc.), adjectiva terminata in *bilis, alis, osus, anus, arius* etc. adverbialque in *im* vel *iter*, (ex. gr. *acceptabilis, aeternalis* etc., *commiatim, infirmiter* etc.), verba denominativa, (ex. gr. *aeruginare, dulcorare, pessimare, manicare* etc.) Pleraque horum vocabulorum scriptoribus jam argenteae aetatis erant inusitata.

b) Genera, declinationes, conjugationes confunduntur, (ex. gr. *cubilis* masc., *fructi* gen., *fodire* etc.), deponentia quoque frequentissime sensu passivo usurpantur.

c) Praepositiones aliquae (*in*) sine certa regula cum accus. aut ablat. coniunguntur, aut illis verbis adduntur, quorum relatio solo casu exprimi solet, (*misereor super* aliquem vel *de* aliquo etc.)

d) Pro participio frequentissime gerundium adhibetur, ita quidem ut hoc etiam subjectum admittat, ac si esset verbum finitum, (v. g. in convertendo Dominus captivitatem Sion); verba »declarandi« etc. fere semper coniunguntur cum *quod, quoniam, quia*, quae sine certa regula indicativum aut coniunctivum post se trahunt etc. etc. Qui plura desiderat videat *Kaulen*, Handbuch zur Vulgata, Moguntiae, Kirchheim, 1870, ac *Roensch*, Itala und Vulgata, Marburg, 1869.

e) Praeterea latinus interpres, quum graecum suum textum accurate reddere studeret, non tantum multa vocabula graeca retinuit, (*agonia* = ἀγωνία, *agonizare*; *aporia* = ἀπορία, *aporiari*; *bravium* = βραβεῖον etc.), sed etiam nova vocabula ad graecum modum composuit, (*longanimitas* = μακροθυμία; *pusillanimitas* = ολιγοψυχία; *multiloquium* = πολυλογία) atque ipsas graecas constructiones conservavit, (v. g. *reges gentium dominantur eorum*).

Licet autem eiusmodi proprietates in omnibus Libris inveniantur atque satis indicent, eodem circiter tempore et eadem in regione eos esse translatos, dicendi tamen genere differunt singuli, et alii aliis videntur melius esse translati: Eccli. e. gr. et L. Sapientiae praestant Psalmis, Evangelia Epistolis.

¹⁾ »Igitur haec praesens praefatiuncula pollicetur quatuor tantum Evangelia . . . *codicum graecorum emendata collatione*, sed veterum«. Hier. Praef. in Evang. — »N. Testamentum graecae reddidi auctoritatis«. Ep. ad Lucin. 71 vel 28, 5.

Continet vero **Vulgata**, prouti versio, resp. recensio s. Hieronymi inde ab ineunte saeculo VII in toto Occidente esse et appellari coepit, sequentes partes:

a) *Novum Testamentum* ex antiqua Itala, a s. Hieronymo ad graecam fidem codicum veterum revocatum.

b) *Psalterium* ab eodem s. Doctore ad hexaplarem textum graecum Origenis in terra sancta post a. 389 recensitum. Hoc Psalterium dicitur etiam »*Psalterium gallicanum*«, quia recensio haec statim in Gallia ad usum liturgicum adhibita est. Sed paullatim aliae quoque ecclesiae illud receperunt et s. Pius V (1566—1572) illud Breviario romano inseruit.¹⁾

c) Libros *protocanonicos* A. Foederis omnes et duos *deuterocanonicos* (Tobiam et Judith) ex hebraico, ultimos duos e chaldaico textu a s. Hieronymo translatos.

d) Quinque libros *deuterocanonicos* A. Foederis (Baruch, Sap., Eccli., I et II Macch. nec non partes deuterocanonicas LL. Daniel et Esther) non correctos ex antiqua Itala.

S. Hieronymus Libros sacros ita latine reddidit, ut eius versioni inter cunctas antiquas primus locus ab omnibus attribuat, licet omnibus numeris absoluta et perfecta dici nequeat. Plerumque nec plus aequo literae inhaeret, nec longius ab ea discedit, sed *sensum* fideliter et clare, imo saepius cum elegantia quadam reddit; neque desunt tamen loci, in quibus literae hebraicae arctius inhaerens obscurior est, aut in quibus accuratum sensum textus primigenii non plene attigit, vel etiam sensum suum privatum sensui sacri scriptoris substituit vel inseruit.

Sed haec nova quoque s. Hieronymi versio pedetentim maculas contraxit, quum negligentes aut inscii librarii e vetere in novam multa insererent, utramque confunderent eodemque in codice miscerent.

— »N. Testamentum graecae fidei reddidi, Vetus juxta hebraicum transtuli«. De vir. ill. c. 135.

¹⁾ Praeter Psalterium gallicanum datur etiam *romanum*, quod est recensio Italiae iuxta versionem LXX a. s. Hieronymo Romae facta a. 383, quae emendatio Romae in Liturgia adhibita est. In usu ecclesiarum Italiae permansit usque ad s. Pii V aetatem, qui in correctum Breviarium Psalterium gallicanum inseri jussit, *Vaticanae* soli basilicae, ecclesiae *Mediolanensi* et *Venetorum* ducum sacello privilegio concesso, ut romanum Psalterium retinerent. In Missali (Introitu, Graduali, Offertorio, Communione) et in Breviario (Ps. 94, Antiphonis et Responsoriis) Psalterium romanum usque ad hodiernam diem retinetur.

Malo huic mederi conati sunt viri docti et pii, e. gr. *Cassiodorus* vix centum annis post s. Hieronymi mortem; ast extra Vivariensis monasterii moenia absque fructu. Majori cum fructu id factum est ab *Alcuino*, dein a s. *Petro Damiani*, s. *Lanfranco* et s. *Stephano*, abbate Cisterciensi.

Inde ab ineunte saeculo XIII magna universitatis parisiensis auctoritas effecit, ut Vulgatae textus, qui in ejus scholis adhibebatur, velut typus omnibus fere librariis inserviret atque plurimis codicibus propagaretur. Attamen quum textus parisiensis satis esset vitiosus, uniformitas iuniorum codicum hoc modo exorta, maiorem eis auctoritatem non conciliavit. Contra vero multi theologi, ut hanc errorum propagationem impedirent, apparatus criticos colligere coeperunt, quos, nomine *Correctorii* vel *Epanorthotae* ¹⁾ indito, non tantum ad parisiensis exemplaris, sed aliorum quoque codicum emendationem destinarunt. Revera una cum antiquioribus codicibus nonnulla Correctoria corrigendo Vulgatae textui egregie inserviunt, etsi suo tempore nec conformitatem textus, nec puritatem eius conservare potuerint.

Codicum Vulgatae ingens est numerus; antiquitate omnes superat *bobiensis* palimpsestus, qui saec. V exeunti, aut saec. VI ineunti adscribi debet. Aetate et auctoritate in N. Testamento eminet *fuldensis*, in utroque Testamento *amiatinus*. ²⁾ Memoratu dignus, praesertim pro nobis, est etiam *forojuliensis* e saec. VI, partem Evangeliorum continens.

Inventa typographia, Vulgata inter omnia opera primum typis impressa, in lucem prodiit Moguntiae a. 1450, primamque illam editionem ante saec. XV finem secutae sunt aliae fere centum, quae tamen vix correctae dici possunt.

Quum saeculo XVI Vulgata, qua per nongentos fere annos tota Ecclesia occidentalis usa erat, a Protestantibus repudiaretur,

¹⁾ Correctorium vel Epanorthotes, i. e. codex latinus Vulgatae, in cujus margine exhibebantur lectiones variantes ex antiquis latinis codicibus, e variis ss. Patrum citatis et e textu originali collectae, addito de praeferenda lectione iudicio. — Primum eiusmodi opus theologi ord. Praed. in monasterio senonensi adornasse videntur (*Correctio senonensis*). Circa idem tempus *Franciscani* aliique ordines coetusque religiosi similia opera condiderunt. Inter correctoria eminet *sorbonicum* seu *parisiense*, quia exemplari in bibliotheca sorbonica conservato iterum innouit.

²⁾ In *amiatino* monasterio diu servatus, hodie inter κειμήλια bibliothecae Laurentianae Florentiae conspicitur.

et novae ab eis cuderentur versiones latinae, Ecclesia, saluti fidelium invigilans, in concilio tridentino¹⁾ Vulgatam inter omnes versiones latinas **authenticam** declaravit sequenti decreto:

»Insuper eadem sacrosancta synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum Librorum, quatenus pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et Vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur et ut nemo illam revicere quovis praetextu audeat vel praesumat« . . .

»Sed et impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere volens . . . decernit et statuit, ut posthac s. Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et Vulgata editio quam emendatissime imprimatur« . . .

Consilium Patrum tridentinorum in hoc decreto statuendo duplex erat. Quia nempe Vulgata a Protestantibus aperte respuebatur, a Catholicis nonnullis vero negligebatur et arbitrario modo mutabatur, voluit concilium:

a) *praecavere*, ne Catholici, latina lingua utentes et textus originalis ignari, in versiones ab A Catholicis profectas, vel alias ut »authenticas« proclamatas, inciderent et fidei orthodoxae jacturam facerent;

b) *efficere*, ut ex omnibus versionibus latinis, eo tempore exstantibus satque perversis, illa commendaretur, quae licet non prorsus libera esset ab omni errore, nullo tamen tali defoedata, qui pernicioso cuidam dogmati patrocineretur, ut adeo documenti instar, in essentialibus fidem facientis, haberi possit.

Prior decreti pars non tantum a Protestantibus semper impugnata est et hodie impugnatur, sed etiam inter Catholicos satis vehementem olim excitavit controversiam, aliis decreti ambitum ultra veri limites extendentibus, aliis nimis eum coarctantibus, inter quos mediam viam tenentes **sensum** decreti definire conabimur hisce thesibus:

1. *Decreto suo Patres tridentini nec textibus primigeniis, nec antiquis versionibus, quae semper in Ecclesiae usu erant, Vulgatam*

¹⁾ Sess. IV, decreto de editione et usu sacrorum Librorum.

praetulerunt, nec ullo modo textuum primigeniorum versionumque antiquarum authenticam negarunt.

Hoc docet:

a) *Decretum ipsum*, quod ne uno quidem verbo de textibus primigeniis aut aliis antiquis versionibus loquitur, sed dumtaxat »e latinis editionibus, quae tunc circumferebantur«, unam pro authentica declarat.

b) *Decreti historia*. Occasionem enim decreto dedit abusus, varietate novarum versionum *latinarum* exortus.

c) *Theologi praecipui*, qui concilio interfuerunt.¹⁾

d) Plures *Pontifices*, praecipue Sixtus V et Clemens VIII in versionis Vulgatae emendatione codices hebraicos et graecos adhibuerunt.

e) Theologis catholicis licuit *ipso concilii tempore et postea* idioma originale adire et conamina eorum in emendanda versione Vulgata, brevi post concilium tridentinum suscepta, in ipsa praefatione ad romanam Vulgatae editionem cum laude commemorantur.

2. *Neque decreto suo tridentini Patres Vulgatam immunem declararunt ab omni prorsus mendo vel errore, qui fidem morumque regulam non attingat.*

Hoc elucet:

a) *Ex ipsius decreti verbis*, »ut haec ipsa vetus et Vulgata editio quam emendatissime imprimatur«.

b) *E testimoniis theologorum*, qui concilio interfuerunt.²⁾

¹⁾ Ex. gr. *Salmero*, qui cum *Bellarmino* interfuit concilio, in Prolegom. 3. dicit: »Nihil de exemplaribus graecis vel hebraicis agebatur; tantum inter tot editiones latinas, quas nostra saecula parturierant, quatenus ex illis praestaret, sermo erat; liberum autem reliquit omnibus, qui Scripturas s. profundius meditantur, fontes hebraicos et graecos, quatenus opus est, consulere, quo nostram vitio librariorum vel temporum injuria corruptam emendare valeant«.

²⁾ *Pallavicini* in Hist. concilii trid. lib. VI, 17. n. 6 scribit: »Num forte inficiamur, in editione Vulgata multa esse ambigua, obscura multa, quibus lux affunditur a Bibliis primorum idiomatum? Nonne illorum ope catholici interpretes passim utuntur? Nonne id etiam proxime post concilii decretum egerunt, quin et adhuc perdurante concilio? Quod palam facit, id non opponi sententiae Patrum tridentinorum«. — *Vega*, theologus concilii et familiaris praesidis concilii, Cardinalis a s. Cruce, qui serius Pontifex factus est sub nomine Marcelli II, lib. XV, c. 9 de justificatione, (demonstrans frustra desudare Calvinum in ostendendis vitiis Vulgatae editionis), haec habet: »Synodus non approbavit menda, quae linguarum periti in ss. Literis mediocriter versati in ea (Vulgata) deprehendunt« . . .

c) *E Vulgata nostra ipsa*, in qua multi leguntur textus paralleli, qui in numeris, nominibus aliisque id generis, quae omnia fidem non attingunt, ita inter se dissentiunt, ut alterutro in loco error quidam admittatur necesse sit.¹⁾

3. *Eo igitur sensu Vulgata est declarata authentica, ut verus et genuinus revelationis fons dici possit ac debeat, ita quidem, ut non tantum nulla falsa doctrina fidei vel erronea morum regula ex illa legitime deducatur, sed etiam omnia illa, quae ad verbi divini scripti substantiam pertinent, fideliter exprimat.*

Hoc omnino tenendum esse,

a) *ipsa authentici documenti ratio* nos docet. Authenticum instrumentum est illud, quod per se ipsum fidem facit, nec ulterius confirmatione indiget. Quo stricto sensu sola sacrorum auctorum *autographa*, si adhuc superessent, authentica forent, quia nemo eis fidem negare posset. Latiori autem sensu authentica habentur *apographa* quoque omnia, proinde etiam *versiones*, de quarum conformitate cum autographis constat.

De hac conformitate vero constare potest sive legitimae et publicae *auctoritatis declaratione*, sive *privato examine*; priori modo Vulgata nostra est authentica, de altera quaeritur relate ad textum hebraicum. Attamen ut apographum, ergo etiam versio, authentica sit ac fidem per se mereatur, absoluta et perfectissima cum autographo conformitas non requiritur, sed illa sufficit, quae instrumenti *substantiam* respicit. Ad substantiam autem Libri sacri *proxime* pertinent omnia, quae fidem moresque directe attingunt, *remote* vero ea quoque, quae efficiunt, ut apographum iuxta prudentem et ordinariam hominum existimationem idem opus cum autographo habeatur, etsi in rebus minoris momenti differentiae adsint.

Vulgata potest igitur sensu latiori authentica dici, etsi autographum non ubique locorum accuratissime repraesentet, exaequet et compenset, quia a tali errore est aliena, quo argumenti *essentia* immutaretur, seu auctoris mens in rebus fidei et morum perverteretur.

b) Idem demonstratur *ex analogia* agendi rationis virorum, qui auctoritate *leges ferendi* easque *publicandi* pollent.

Si v. g. codex legis vel suprema aliqua resolutio Suae Majestatis lingua emanavit, haud omnibus regni incolis nota, procurante gubernio adornari debet versio, qua hi uti possint eodem,

¹⁾ Cf. ex. gr. II Reg. 6, 23 et 21, 8; IV Reg. 8, 26 et II Paral. 22, 2 etc.

ac textus originalis valore. Hoc casu textus legis originalis est authenticus sensu strictiori; versio autem, quae auspice legislatore confecta est, censetur authentica sensu latiori.

4. *Tali juridico sensu versio Vulgata ab Ecclesia declarata est authentica, idque pleno jure ipsius Ecclesiae.*

Nam s. Scriptura, utpote unus doctrinae revelatae et historiae sacrae cognoscendae fons, est *inspirata*, quia auctor ejus principalis est Deus. Quia jam Ecclesia docens (magisterium Petro-Apostolicum) a Deo constituta est infallibilis custos, iudex atque interpres totius doctrinae revelatae, utique etiam jure pollet, sensu juridico declarandi, hanc vel illam versionem s. Scripturae esse authenticam, i. e. talem, quae cum textu originali quoad essentiam argumenti accurate consentiat, ut exinde revelata doctrina pari ratione cognosci possit, ac ex ipso codice textus originalis, sine periculo erroris respectu fidei, morum, cultus divini et regiminis Ecclesiae.

5. Quod si quaeritur, num *omnes et singuli textus*, qui fidem vel mores attingunt, perfectissimo modo et absolute authographis sacris conformes sint declarati, respondendum videtur, *tridentinos Patres Vulgatam non ita declarasse authenticam, ut a) formalem quaecunque discrepantiam in textibus dogmaticis negarent*, aut *b) dogmaticis textibus, jam antea critice dubiis, majorem quam eousque habuerant, auctoritatem attribuerent*, aut *c) omnes textus dogmaticos, qui in sacris autographis adfuerunt, etiam nunc in Vulgata inveniri assererent.*

Ad a.) *Formalem* differentiam intelligimus non eam solum, qua clarius vel obscurius doctrina quaedam exprimitur, sed illam quoque, qua idem quidem dogma, sed sub diverso respectu aliaque ratione formali enuntiatur.¹⁾

Ad b.) Textus *critice dubios* quod attinet, Vulgata ideo aliis editionibus latinis praelata est, *quia »longo tot saeculorum usu in Ecclesia probata est«,* ergo etiam *quatenus* eodem usu probata est. Tam late patet authenticitas, quam late patet usus, nec usus qualiscunque, sed usus dogmaticus, ad quem solum attenderunt Patres.²⁾

¹⁾ Nihil impedit, quominus ex. gr. Gen. 3, 15 pro »*ipsa*« cum textu primigenio legamus »*ipsum*«; Luc. 22, 20 »qui pro vobis funditur« melius vertimus: »qui pro vobis funditur« etc.

²⁾ Cf. ex. gr. I Cor. 15, 51, qui textus alio modo legitur in Vulgata ac in textu originali.

Ad c.) Authentiae ratio non tollitur alicuius *textus dogmatici omissione*. Nam versionem antiquam latinam Italiam et Alexandrinam ipsam, e qua derivata est, vere authenticas fuisse, negare non possumus, nisi antiquam Ecclesiam authenticas habuisse Scripturas negare velimus; atqui in versionibus istis dogmaticos textus, imprimis vaticinia messiana, defuisse, saepe asserit s. Hieronymus.¹⁾

E dictis igitur *de usu dogmatico Vulgatae* textuumque primigeniorum et versionum, Ecclesiae usu approbatarum, sequentes valent regulae:

a) Theologus Vulgatam ceu fontem genuinum revelationis tuto semper adhibere potest, atque ex omnibus textibus, *de quorum perpetuo usu dogmatico constat*, legitimum deducere argumentum.

b) Neque tamen textus primigenios antiquasque versiones, usu catholicarum ecclesiarum approbatas, adhibere prohibetur; sed argumenta ex illis legitime desumpta eadem gaudent certitudine *intrinseca*, quam argumenta e Vulgatae verbis derivata.

c) Si critica investigatione constat, textum Vulgatae primigenio esse conformem, nec ulla est in verbis latinis ambiguitas, e sola Vulgata legitimum argumentum *scripturisticum* efficitur, verba autem primigenia, si sunt ambigua, secundum sensum Vulgatae explicanda sunt.

d) Quodsi Vulgata et textus primigenius verbis quidem consentiunt, verba latina autem ambigua sunt, *e textu primigenio*, si non est ambiguus, desumendus est sensus verborum latinorum.

e) Si forte textus inveniatur in Vulgata, qui in hodierno textu primigenio aliisque versionibus desit, hic quoque *legitimum* praebet argumentum, quod tamen scripturisticum dici non potest, nisi constans huius textus in Ecclesia catholica usus demonstrari possit.²⁾

6. Alter abusus, quem de Vulgata notarunt Patres tridentini, erat corruptio codicum et editionum. Cui ut mederentur, statuerunt »ut posthac s. Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et Vulgata editio, quam emendatissime imprimeretur«.

Ut huic concilii decreto quantocius satisfaceret, jam Pius IV (1559—1565) specialem instituit Congregationem quatuor Cardinalium et aliorum eruditorum theologorum, cui hoc opus incumberet. Quae quum per longius tempus corrigenda versione Septuaginta occupata

¹⁾ Ad August. ep. 112, 20; Praef. in Pentat.; Praef. 1 in Paral. etc.

²⁾ Cf. I Tim. 3, 16; I Joan. 5, 7.

esset, emendatio Vulgatae demum sub Sixto V (1585—1590) fieri potuit, ita ut haec editio tandem a. 1590 prodiret (*Vulgata Sixtina*). Quum autem haec quoque editio pluribus laboraret mendis, Gregorius XIV (1590) emendationis opus prosequeretur, et tandem Clemens VIII (1592—1605), adjuvantibus Toletus, Petro Morino, Bellarmino et Agelli, perfecit. Editio nova a. 1592 in lucem prodit. Anno 1593 et iterum 1598 a mendis typi, quae irreperant, correctae, *Vulgata Clementina* denuo prodit, quae editio ultima (1598) omnium norma facta et *officiosa* (die amtliche Ausgabe) nominari potest.¹⁾

Respectu *editionum futurarum* Clemens VIII die 9. Novembris 1592 sequens edidit decretum: »Eam cautionem adhiberi praecipimus, ut nemo hanc ss. Scripturarum editionem typis mandare praesumat, nisi habito prius exemplari in typographia Vaticana excuso: cujus exemplaris forma, ne minima quidem particula de textu mutata, addita, vel ab eo detracta, nisi aliquid occurrat, quod typographicae incuriae manifeste adscribendum sit, inviolabiliter observetur«, et in transgressores excommunicationem latae sententiae, eo ipso incurrendae, summo Pontifici reservandae, tulit.

II. De sensu inveniendō ope orationis contextus.

§ 22. Notio, divisio et utilitas contextus.

Usus loquendi docet, quanam significationes singulis vocibus aut formulis in genere convenient; sed haec cognitio ad sensum loquentis inveniendum non sufficit. Nam uni voci aut formulae persaepe plures et vagae significationes competunt, e quibus loquens ad cogitata sua manifestanda unam tantum intendit. Ut cognoscatur, quanam illa fuerit, reliquarum etiam orationis partium ratio habenda est, seu respicienda *cohaerentia sermonis*. Omnis enim homo, sana mente praeditus, singulis orationis suae partibus non nisi eam vim tribuit, qua relate ad praecedentia et sequentia sensum aptum eumque certum, non simul alium, expriment.

Iam haec praecedentium et subsequentium notionum ac sententiarum coniunctio et mutua relatio, ita ut singulae coniunctim non tantum ad quandam unitatem tendant, sed etiam loquenti

¹⁾ Cf. Kaulen, *Einleitung in die heil. Schrift*, ed. 2, Friburgi in Brisgovia, Herder, 1884, pg. 129.

omnimode convenient, dicitur **contextus**, qui itaque definiri potest: *partium orationis nexus et mutua relatio*. Cum contextus doceat, quanam significatio singulis orationis membris subiicienda sit, inde intelligitur necessitas contextus ab interprete respiciendi.

Contextus **dividitur**: 1. Ratione *loci*, seu distantiae eorum, quae cohaerent, in *proximum*, *remotum* ac *remotissimum*; *proximus* locum habet in partibus unius eiusdemque propositionis; *remotus* in propositionibus ad eandem orationem pertinentibus; *remotissimus* in locis parallelis.

2. Respectu *modi*, quo orationis partes connexae sunt, in *logicum*, *psychologicum*, *historicum* et *opticum*.

a) Contextus *logicus* ibi adest, ubi membra propositionis et orationis in justis cogitandi legibus fundamentum habent.¹⁾ Possunt itaque sermonis membra se ad invicem habere ut subjectum et praedicatum, vel ut genus et species, vel ut partes et totum, vel ut causa et effectus, vel ut antecedens et consequens etc.

b) *Psychologicus* nexus adest, ubi praecedentia et subsequencia vi legis idearum associationis cohaerent.²⁾

c) *Historicus* contextus locum habet in copulandis factis historicis; et est vel *chronologicus*, si temporis, vel *realis*, si internae similitudinis, vel *topicus*, si loci ratio in illis connectendis habetur.

d) *Opticus* contextus adest, ubi prophetae in oraculis suis eventus aevi futuri, tempore propius vel remotius eventuros, simul adumbrant, quin temporis intervallum, quod inter illos intercedit, innuant. E. gr. prophetia Christi Domini de excidio Hierosolymorum et fine mundi (Matth. c. 24).

Utilitas contextus maxima est. E contextu *proximo* edocemur, certo subjecto respondere debere conveniens praedicatum; noto substantivo conveniens adiectivum; vel generatim: e certis ad incertorum notionem concludere licere. V. c. Matth. 5, 13. 14: »Vos estis sal terrae«; — »vos estis lux mundi«. Ob subiectum »vos« praedicata »sal terrae« et »lux mundi« sensu metaphorico sumenda sunt.

¹⁾ Tria magna logica principia quoad cogitandi leges sunt: α) Principium rationis sufficientis: Nihil cogita absque causa sufficienti. β) Lex identitatis et contradictionis. γ) Lex seclusi tertii.

²⁾ Si consideramus facultatem memoriae, leges psychologicae associationis idearum sunt: α) Lex similitudinis. β) Lex contrarietatis. γ) Lex coëxistentiae simultaneae. δ) Lex successiois.

Sed etiam contextus *remoti* utilitas magni aestimanda est. Per hunc imprimis definitur significatio vocabulorum *mediorum*¹⁾, *epicoenorum*²⁾, *polysemorum*³⁾, *oxymororum*⁴⁾, nec non potestas *particularum*⁵⁾, quarum usus in s. Scriptura hinc inde minus accuratus est.

Caveat autem interpres :

1. Ne per *artificium criticum*⁶⁾ vel *hermeneuticum*⁷⁾ extorqueat nexum, ubi nullus, aut non talis adest.
2. Ne textum sacrum addendo aut mutilando corrumpat.
3. Ne tribuat vim contextui justo maiorem, vel justo minorem, quam revera ei inest.

§ 23. Loci paralleli.

Loci paralleli dicuntur illi, qui a se invicem distant, sed de iisdem rebus agunt. Mutua horum locorum ratio parallelismus audit.

¹⁾ Vocabula *media* sunt illa, quae bono vel malo sensu adhiberi possunt, (zweideutig, dvoumen, ἐπίσημος, ab ἐπισημάω, signum facio desuper, excellens, praestans (Rom. 16, 17), et quidem bono sensu.) (Cf. Matth. 27, 16). E. gr.: medium responsum; sacra auri fames (sacer sensu: verflucht); »devotus femineus sexus« et »diabolo se devovere«.

²⁾ Verba *epicoena* (ἐπίκοινος), vocabula animalium, quae pro utroque sexu aequaliter sonant; e. gr. aquila, corvus.

³⁾ Vocabula *polysema* varias significationes admittunt. E. gr. Graecorum: βίος βίου δεόμενος οὐκ ἐστι βίος; Latinorum: Amici, dum vivimus, vivamus.

⁴⁾ *Oxymora* (ὀξύς et μῶρος), quae absurda esse videntur, revera autem sensum profundiorum continent; e. gr. Ἰωανδρος ἀνὴρ τῆς Μαρίας (Joseph) apud s. Epiph.: »Dimitte mortuos sepelire mortuos suos« (Matth. 8, 24). »Qui (Abraham) contra spem cum spe credidit« (Rom. 4, 18).

⁵⁾ Sic particula copulativa καί potest significare vel simplicem *copulam*; vel adhibetur loco conjunctionum: tum, deinde, porro; ulterius particula καί explanat seu illustrat dicta (καί exegeticum = et quidem, nimirum, nempe); vel duae sententiae sibi opponuntur (καί adversativum = et tamen, uti Act. 10, 28); vel per καί sententiae comparantur (καί comparativum, uti Marc. 9, 48). Exemplum classicum duplicis significationis καί habemus Joan. 6, 36: »Sed dixi vobis: quia et (= quidem) vidistis me, et (= et tamen) non creditis«. — Ita etiam particula γάρ = nam non est semper causalis, sed nonnumquam etiam explicativa = nimirum.

⁶⁾ *Artificium criticum* dicitur, si interpres lectioni costanti aliam et mera coniectura substituit lectionem, ut sibi planiorem redderet nexum aut sensum. V. c. si quis Matth. 19, 24 loco κάμηλος — κάμιλος (rudens, funis nauticus) legere vellet.

⁷⁾ *Artificium hermeneuticum* dicitur, si interpres significationes rariores sectatur, vel modernam in auctoribus ss. subtilitatem supponit.

Parallelismus **dividitur**:

1. Ratione *fontis*: vel *ejusdem*, vel *diversorum* auctorum.

Locos parallelos *eiusdem* auctoris invicem comparari debere, nullum dubium est; quia quivis homo, nisi in retractando versatur, sibi consentire solet.

Sed etiam loci paralleli *diversorum* auctorum secum conferri possunt ad plenius cognoscendum usum loquendi et rerum notitiam, idque eo magis, si auctores talium locorum vel tempore, vel disciplina sibi aequales sunt. Id praepremis in s. Scriptura obtinet, quia omnes s. auctores a Spiritu sancto inspirati scripserunt.

2. Ratione *modi* parallelismus est: *a) verbalis*, si in diversis locis eadem occurrunt verba, sive sunt res eadem, sive diversae. E. gr. ejectio nummulariorum e templo (Joan. 2, 14 sqq. et Matth. 21, 13 sqq. coll. cum Luc. 19, 45 sq.), *b) realis*, si in diversis locis eadem tractatur res vel idem objectum, quibuscunque verbis, sive iisdem, sive discrepantibus id fiat. E. gr. octo beatitudines apud Matth. (5, 1—12) et Luc. (6, 20—26).

Parallelismus *realis* ratione *materiae* iterum est vel *historicus* vel *didacticus* vel *propheticus*.

A locis parallelis distinguendus est **parallelismus**, quem vocant **poëticum** seu **membrorum**. Est hic quidam sententiarum rhythmus, in eo consistens, quod sententia non simpliciter effertur, sed in plures partes aequaliter distribuitur, ut singula eiusdem membra aequali modo sibi correspondeant.

Dividitur parallelismus membrorum:

a) Ratione *argumenti* in *synonimum* (tautologicum), *antitheticum* et *syntheticum*.

b) Ratione *formae* vero in *perfectum* (Ps. 50, 3) et *imperfectum* (Ps. 21, 5—6.)¹⁾

In **usu** locorum parallelorum vero **caveat** interpres:

1. Ne loci habeantur paralleli, qui tales non sunt; probe enim ab his distinguendi sunt loci *similes*.

2. Ne *plus* e locis parallelis inferatur, quam eis revera inest; hoc fieret, si certo loco reliqui sic subordinarentur, ut ille quasi basis inconcussa ac terminus aestimaretur, quem non liceat transilire.

3. Ne locus parallelus clarior ex obscuriori explicetur. Hermeneutice autem *clarus* dicitur locus, qui ad usum loquendi, ora-

¹⁾ Cf. *Zschokke*, *Historia sacra* A. T., ed. II, Vindobonae, Braumüller, 1884, pg. 201, n. 3.

tionis contextum et loquentis conditionem exactus, unum tantum eumque certum admittit sensum.

4. Ne locus parallelus *alterius* scriptoris praeferatur illi *eiusdem* scriptoris, quia quilibet sui ipsius optimus interpres.

§ 24. Media ad locos parallelos inveniendos.

Ad locos parallelos inveniendos plura prostant media, et quidem :

1. Ad **verbalem** parallelismum inveniendum inserviunt *concordantiae biblicae*, *lexica biblica verbalia* et *grammatici biblici*.

Concordantiae biblicae sunt libri, qui ordine alphabetico omnia exhibent s. Scripturae vocabula et formas una cum designatione locorum, i. e. capitum et versuum, ubi occurrant, ita ut uno obtutu cognosci et expendi possint. E. gr. concordantiae *Hugonis* Cardinalis, ordinis Praedicatorum, primum a Francisco *Luca* theologo, denuo studio v. D. Huberti *Phalesii*, o. s. Benedicti, editae, Venetiis 1719. — Cf. etiam »*Biblich-Patristische Concordanz*« D^{ris} Hieronymi Antonii Jarisch, Vindobonae, 1854. — Celeberrimae sunt concordantiae *graecae* auctore Erasmo *Schmidt*, saec. XVII, et *hebraicae* auctore *Buxtorfio*, † 1629.

2. Ad parallelismum **realem** cognoscendum juvant *lexica biblica realia*, libri *dogmatici*, *morales*, *ascetici*; dein *commentarii* in s. Scripturam, *editiones* s. *Scripturae*, locis parallelis instructae et propria s. Scripturae *lectio* sic dicta *cursoria*.

§ 25. Pugnae.

Pugna (ἀντιλογία, ἐναντιώσις) dicitur locus, qui de eadem re et quidem eodem sub respectu agit, et vel aliis locis eiusdem auctoris, vel veritatibus aliunde certis contradicit. Pugna vera tunc tantum occurrit, si de *eadem* re, *eadem* e parte spectata *contradictoria* (ἀντικειμένον) dicuntur, et quidem ab *auctoribus* ipsis. Quodsi hae quatuor conditiones non adsunt, non existit pugna vera.

Pugna apparens (enantiophania), (relate ad s. Scripturam) est locus, qui de eadem re agit et vel aliis Scripturae locis, vel veritatibus aliunde cognitiss contradicere videtur.¹⁾

¹⁾ Eruditi speciales libros seu tractatus locorum enantiophanorum composuerunt. Cf. Biblia Vulgatae editionis, Passaviae, 1768, in appendice ad prolegomena.

Pugnae distingui solent: a) *historicae*¹⁾, b) *dogmaticae* vel *morales*²⁾ et c) *propheticae*.³⁾

Quoniam totius s. Scripturae unus Deus, qui sibi contradicere nequit, est auctor primarius, liquet, in Scripturis nullam realem antilogiam admitti posse.

Quum igitur interpres catholicus veram inter s. scriptores concedere nequeat contradictionem, eius est, respectu pugnarum *apparentium* detegere **fontes**, unde pugnae oritur species.

Fontes talis pugnae sunt vel *mendum textus*, vel *vitiosa* loci cujusdam *interpretatio*, vel *erroneum* interpretis *judicium*.

Hinc interpres:

1. Critica adhibita inquirat in *textus* integritatem, et si corruptionis vestigia adsunt, textum pristinae integritati restituere conetur. Textum corruptum esse, elucet, si testimonia *externa*, i. e. *codices* varii, *versiones* variae et *Patres* diversi lectiones exhibent *diversas*. Sed etiam ex argumentis *internis* potest concludi, textum esse corruptum, praecipue in *numeris*, in quibus describendis librarii, similitudine literarum numeralium seducti, facillime et saepissime errarunt. V. c. III Reg. 4, 26 Salomon dicitur habuisse 40.000 praeseptorum pro equis curruum suorum, et II Chron. 9, 25 tantum 4000. Alterutra harum lectionum aperte non est genuina; vero-

pg. 44—48. — Cf. etiam commentarium in universam s. Scripturam Jacobi Tirini, Soc. Jes., Venet., 1772, in indice quarto, qui est antilogiarum index, pg. 84—105.

¹⁾ E. gr. Matth. 26, 8 coll. Joan. 12, 4: »Videntes autem *discipuli* indignati sunt, dicentes: Ut quid perditio haec?« — »Dixit ergo *unus* e discipulis ejus, Judas Iscariotes« etc. — Marc. 6, 17 coll. Josepho Flavio Antiquit. l. 18, V. 1. 2: »Ipse enim Herodes misit ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcere propter Herodiadem, uxorem Philippi, fratris sui, quia duxerat eam.« — Josephus Flavius autem l. c. narrat, Herodem Antipam Joannem Baptistam occidisse, »quum esset vir bonus Judaeosque ad virtutis studium excitaret... Cumque multi ad eum undique confluerent... Herodes veritus, ne tanta hominis auctoritas subditos ad defectionem impelleret, ... satius esse duxit, priusque novi aliquid ex illo oriretur, illum e medio tollere, quam ut mutatione rerum facta ipse in discrimen adductus poenitentiam ageret« etc.

²⁾ Matth. 19, 12 coll. Act. 5, 4: »Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade vende, quod habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me.« — »Nonne manens tibi manebat et venundatum in tua erat potestate?«

³⁾ Celebre Jonae vaticinium 3, 4: »Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur« — implementum non habuit, quia Ninivitae poenitentiam egerunt et ita excidium, sub conditione edictum, evaserunt.

similiter litera numeralis Mem = 40 cum numerali Daleth = 4 per mutata est.

2. Si textus nullo modo potest corruptionis argui, videat interpres, an non ipse in *interpretatione* unius vel alterius loci erraverit.

3. Interpres probe attendat, an pugna non orta sit ex *erronco iudicio*, in collatione locorum diversorum adhibito.

Si pugna adest inter *sacrum* et *profanum* auctorem (v. gr. Josephum Flavium), ante omnia inquirat interpres, an causa huius pugnae non sit *corruptio textus*, vel *erronea interpretatio*, vel *erroneum iudicium*; quodsi una alterave pugnae causa non adsit, causa huius pugnae tribuenda est scriptori *profano*, qui et falli et fallere potuit.

III. De sensu inveniando per conditionem loquentis.

Juxta supremum Hermeneuticae principium praeter usum loquendi et orationis contextum etiam **conditio** (adjuncta) loquentis, tam *interna* quam *externa* interpreti est respicienda.¹⁾

Ante omnia autem interpres ad ipsum *loquentem* attendat, nam in orationibus, praesertim s. Scripturae, subjectum saepe mutatur, quin mutatio haec expresse indicetur. Cf. Ps. 2, Librum Job, Canticum. Interpres ergo in explicanda quadam propositione accurate determinet, *quisnam* sit *loquens*,²⁾ dein vero, num loquens e *sua*, an ex *alterius* sententia dixerit.

§ 26. Conditio loquentis externa et interna.

Conditionem loquentis **externam** efficiunt omnia, quae extra animum loquentis sita cum eius tamen cogitationibus in tali nexu sunt posita, ut sine eorum notitia mens ipsius plene et perfecte cognosci nequeat. Huc jam pertinet:

1. *Aetas, patria* et *lingua* loquentis.

¹⁾ Quae huc pertineant, nonnulli versu memoriali complectuntur:

«Quis, scopus, impellens, sedes, tempusque locusque

Et modus: haec septem Scripturae attendito lector».

²⁾ E. gr.: Quidam false contendunt, Joan. 3, 16—21 loquentem esse Evangelistam; loquens enim est Christus.

2. *Fata factaque* loquentis, ad quae saepe alludit, quae si ignorentur, non posset intelligi, cur hoc, non alio modo, neque quid dicat. V. c. Paulus Gal. 1, 1 se appellat Apostolum per Christum vocatum. (Cfr. II Petr. 1, 16—18.)

3. *Gestus et pronunciationis tonus*, quo cognito intelligitur, num dicta proprie an tropice, serio an ironice, mitius an severius accipienda sint. E. gr. dum Christus dicit (Joan. 2, 19): »Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud«, manu in pectus suum ostendisse censendus est.

4. *Indoles rerum biblicarum*, ad quas auctores s. vel alludunt, vel a quibus imagines et dicendi occasionem sumunt. E. gr. si Christus Nicodemo dicit (Joan. 3, 3): »Nisi quis renatus fuerit denuo«, certe respexit rabbinicam formulam de »regeneratione«.

5. *Conditio tum interna tum externa personarum, ad quas et de quibus fit sermo*. Cognita enim hac conditione intelligitur orationis et modi dicendi ratio. V. c. (Act. 24, 25 sq.) s. Paulus loquitur coram praeside Felice de justitia, castitate et de futuro iudicio, quia Felix deditus erat vitiis, virtutibus illis oppositis. Felix enim, libertinus, a Suetonio (Claud. 28) »trium reginarum maritus« nominatus, conjugio adulterino copulatus erat cum Drusilla, filia Herodis Agrippae I, sorore regis Agrippae II et uxore legitima principis Emesani Aziz.

Conditionem loquentis **internam** efficiunt omnia, quae in animo loquentis sita adeo in ipsius orationem influunt, ut ex eis pendeat, quid dicat, et cur hoc, non alio modo dixerit. Huc referuntur:

1. *Cultura intellectualis.*
2. *Character moralis.*
3. *Naturalis animi indoles.*
4. *Affectus animi.*
5. *Consilium loquentis.*

Cultura intellectualis est complexus cognitionum, quibus homo pollet, sive notitiae hae sint perfectae ac verae, sive erroneae ac falsae.

Character est praedominans et constans animi dispositio, qua quis ad certum sentiendi et agendi modum in omnibus circumstantiis determinatur. E. gr. ratio agendi modi, a Pilato in Christi damnatione ad mortem observati, illustratur per levem hujus procuratoris characterem.

Sub *naturali animi indole* (Naturell, naráv) loquentis vel scribentis intelligimus praevalentem ejus propensionem, e nativo partis physicae temperamento ortam, ad certam sentiendi et agendi rationem.¹⁾

Naturalis animi indoles nobiscum nascitur, character vero per nos formatur. E. g. e nativa animi indole vivaci, seu e temperamento sanguinico s. Petri explicari possunt varia phaenomena in vita hujus Apostoli ante missionem Spiritus s. (Luc. 5, 1—8; Joan. 6, 68; Matth. 15, 15. 16; Matth. 14, 28 sqq.; Joan. 13, 6—9; Matth. 16, 16 etc.)

Animi affectio (Gemütsstimmung, dušno stanje)²⁾ loquentis est animi ejus status sive tranquillior, sive motu quodam vel affectu vehementiori excitatus, eo temporis momento, quo verba facit.

Consilium loquentis est id, quod oratione vel scripto suo efficere desiderat.

Si s. Scripturam consideramus, triplex loquentis consilium distinguere possumus, scilicet *commune, generale, speciale*. *Commune* est, quod universae s. Scripturae, tum V. tum N. Testamenti, subest. *Generale* vocatur, quod pluribus Libris simul, v. c. quatuor evangeliiis, subest. *Speciale* vocatur, quod uni Libro vel singulis ejusdem Libri partibus, v. c. soli s. Matthaei evangelio subest.

Consilium, tum generale tum speciale, est vel a) *didacticum*, si auctor vel loquens cognitionem veritatum, doctrinarum, praeceptorum suppeditare vult; b) *historicum*, si eventuum praeteritorum indolem ac ordinem describit;³⁾ c) *historico-dogmaticum*, si ope historiae certas veritates religiosas probat; d) *poëticum*, si pia sensa manifestare aliosque ad talia rapere intendit; e) *polemicum*, si quis certos errores impugnare vel certas veritates tueri contendit.

Hoc ultimum iterum potest esse *directe* vel *indirecte polemicum*. α) *Directe polemicum* dicitur, si expresse vel errores impugnantur, vel veritates propugnantur. β) *Indirecte polemicum* vocatur, si errores, resp. veritates non quidem expresse citantur, attamen tali modo inducuntur, ut facile cognoscas, auctorem errores, resp. veritates

¹⁾ Temperamenta inter homines generatim, quam inter scriptores et rhetores speciatim varia inveniuntur: phlegmaticum, sanguinicum, cholericum et melancholicum. Cf. *Stöckl*, Philosophie, I, pag. 208 sq.; *Lampe*, Dušeslovje, pag. 492 sqq.

²⁾ Cf. *Lampe*, Dušeslovje, pag. 422—440.

³⁾ Consilium pure historicum nulli ss. scriptorum adscribendum est.

istas prae oculis habere. E. gr. consilium Joannis in conscribendo evangelio fuit historico-dogmaticum, ast simul indirecte polemicum, quia contra Ebionitas et Docketas, etsi non nominentur, pugnat.

Epilogus.

Loqui restat adhuc de duobus criteriis rationalibus, quae quidem nec ad conditionem loquentis externam, nec internam pertinent, quae tamen cum criteriis modo enumeratis intimo nexu posita sunt. Unum — *materia substrata* — exhibet aliquid intrinsecum ipsis Libris interpretandis; alterum vero — *ocasio sermonis* — aliquid extrinsecum sacris auctoribus eorumque Libris. Qua de causa duo haecce criteria epilogi instar parti hucusque pertractatae adjunguntur.

§ 27. *Materia substrata et occasio sermonis.*

Materia substrata dicitur ipsa res, de qua auctor loquitur, et circa quam versatur vel integer Liber vel aliqua ejus pars. E. gr. omnia illa loca evangelii s. Joannis, quibus Christi divinitas aperte probari potest, constituunt hujus evangelii materiam substratam, ut prologus, sermones Christi dogmatici, expressiones: verbum, lux, vita etc. de Jesu Christo adhibitae.

Una eademque vox vel dicendi forma saepe diversimode intelligenda est pro diversa substrata materia, de qua est sermo; hinc necessitas perspicitur, in interpretatione materiam substratam respiciendi.

Principia:

1. *Interpretatio, quae repugnat substratae materiae, rejicienda est.*
2. *Interpretatio, quae sola convenit cum substrata materia, admitti omnino debet.*
3. *Inter varias ejusdem loci interpretationes caeteris paribus ea est praeferenda, quae substratae materiae melius quam caeterae congruit.*

Ut probe dignoscatur, *quaenam* sit uniuscuiusque loci substrata materia, imprimis *integer* textus et contextus attente perlegendus est; eiusdem autem rei natura, si forte nota lectori non sit, aliunde disci debet, et ad hoc maxime pertinet studium archaeologiae biblicae,

quae res minus notas earumque naturam ac proprietates docet. Aliquando ipse auctor in principio vel in decursu sermonis declarat ac definit, de quo tractaturus sit vel jam tractet. Cf. I Cor. 7, 1; 8, 1; 12, 1.

Sensum verborum e substrata materia tunc tantum definire licet, cum ista sufficienter cognita ac perspecta est: secus enim potius e verbis materia substrata est determinanda, quam vice-versa. Quae cautio in iis praesertim locis adhiberi debet, ubi de mysteriis agitur.

Hodierni biblici Rationalistae contrariam viam tenentes sub praetextu hujus biblici criterii omnia dogmata supernaturalia de medio sustulerunt, verba Scripturae contorquentes, ne illud significant, quod »philosophicae rationi« minus convenire putant.

Occasio sermonis dicitur quaelibet externa circumstantia, quae auctorem movet ad aliquid scribendum vel dicendum. Valde affine est hoc criterium *consilio* loquentis, ita ut in concreto saepe vix possint distingui. Per se tamen haec duo distingui possunt, praesertim cum agitur de iis, quae incidenter a loquente vel scribente pro data occasione proferuntur, nec proprie pertinent ad scopum, quo tendit sermo vel scriptum.

Cognita occasione, qua sacri scriptores aliquid protulerunt, dicta obscura vel ambigua bene declarantur; significatio dictionum vel augetur vel imminuitur; sensus proprius a metaphorico distinguitur; denique ratio reddi potest illorum, quae sine causa dicta videri possent. Cf. Joan. 6, 54 et 56 et interpretationem horum verborum e parte Sacramentariorum protestantium. — Cf. etiam Matth. 10, 5 coll. Marc. 16, 15.

Ratio, qua nobis innotescit occasio loquendi, multiplex est. Imprimis ipse sacer textus saepissime occasionem memorat, ob quam aliquid dictum vel scriptum est. Cf. principium evangelii s. Lucae (1, 1—4). Saepe etiam occasio sermonis colligitur ex attenta consideratione totius sermonis et adjunctorum, quae in ipsis Scripturis narrantur de persona loquente, vel de sacro scriptore. His non raro lucem affundunt testimonia veterum ecclesiasticorum auctorum, qui plura nobis tradiderunt de occasione, qua nonnulli sacri scriptores ad suos Libros edendos inducti fuerint, e. g. s. Hieronymus in libro »de viris illustribus seu de scriptoribus ecclesiasticis«.

B. Principia dogmatica.

Hucusque proposuimus critera interpretationis, quae a ratione ipsa suggeruntur ad sacros Scripturae Libros intelligendos, quatenus hi ab hominibus humano loquendi more exarati sunt. Verum Libri Scripturae sacrae sunt etiam *divini* et *canonici*. Hinc praeter rationales regulas ad hos Libros intelligendos aliae quoque praesto esse debent, divinum Librorum horum characterem respicientes, quae *dogmaticae* vocari possunt.

Regulas priores etiam Protestantes et Rationalistae omnes sequuntur; posteriores a *Catholicis* omnino observandae sunt; hinc interdum etiam regulae *catholicae* vocantur.

Interpres nempe catholicus agnoscit infallibile a Deo constitutum magisterium, cui non tantum in genere depositum revelationis, sed et in specie sacra Scriptura ejusque dogmatica interpretatio ex officio concredita est.

§ 28. **Supremum Hermeneuticae biblicae principium catholicum.**

Quia Libri sacri non tantum humanae, sed etiam — et quidem a potiori parte — divinae originis sunt, utpote a Spiritu s. inspirati, supremum Hermeneuticae biblicae principium catholicum erit:

Erue et propone e s. Scriptura sensum, quem Spiritus s. seu auctores biblici, a Spiritu s. inspirati, intendebant.

Quinam autem sensus sit a Spiritu s. aut ab auctoribus biblicis intentus, ab *Ecclesia* edocemur, quam Deus totius doctrinae revelatae custodem et infallibilem judicem constituit. Hinc patet, interpretem catholicum in Scriptura sacra interpretanda praeter commune interpretandi principium respicere teneri etiam *sensum* (mentem) *Ecclesiae*.

Proinde supremum Hermeneuticae biblicae principium formale catholicum erit sequens:

Interpretare Scripturam sacram ope communis principii hermeneutici juxta mentem Ecclesiae.

§ 29. Authenticus s. Scripturae interpres.

Supra (§ 1) dictum est, interpretationem authenticam esse illam, quae ab ipso auctore, vel ab eius legitimo vicario prodiit. Si hoc ad s. Scripturam applicamus, interpres eiusdem *authenticus* est:

1. *Spiritus sanctus*, tamquam principalis (primarius) s. Scripturae auctor, saltem in iis, quae ad doctrinam fidei et morum pertinent.

2. *Apostoli*, tamquam auctores secundarii (instrumentales), quibus Christus munus docendi commisit, doctrinam suam omnem, una cum recta intelligentia tradidit atque s. Spiritus assistentiam concessit. Quam doctrinam Apostoli horumque discipuli, prout occasio ferebat, prius serius scripto commendabant, illustrabant, ad fidelium condiciones applicabant et defendebant. Atque haec s. Scripturae expositio cum ipsis scriptis et toto doctrinae revelatae complexu posteris tradebatur sicque authentica s. Scripturae interpretatio, ab auctoribus eius proveniens, non minus ac ipsa Scriptura sacra ore vel calamo Antistitum in Ecclesia catholica propagabatur.

3. *Ecclesia catholica* (magisterium Petro-Apostolicum) interpres authentica s. Scripturae est, et quidem:

a) *Ecclesia docens*, sive in concilio oecumenico congregata, sive per totum orbem dispersa. Nam Ecclesia docens universam Christi doctrinam eiusque rectam intelligentiam retinet et conservat, proinde etiam s. Scripturae, quae partem tantum continet totius doctrinae revelatae, verum sensum teneat necesse est.

b) *Romanus Pontifex*, quando ex cathedra loquens quendam s. Scripturae locum interpretatur, quia in tali interpretatione tamquam vicarius divinus considerandus et qua talis infallibilitate munitus est.

c) Quodsi *omnes ss. Patres*, loco et tempore inter se distantes, ingenio et eruditione dissimiles, in textu biblico eoque haud raro difficiliori interpretando unanimiter consentiunt, id indicio nobis esse debet, unanimem consensum hunc inniti Apostolicae traditioni, atque ideo consentientem Patrum interpretationem esse interpretationem Apostolorum, a Spiritu s. rectorum, ergo authenticam.

Ex hucusque dictis sponte sequitur:

1. Quod *in sola Ecclesia catholica* genuina s. Scripturae interpretatio viget, quia in hac tantum praesto est integra Apostolorum

traditio, quae doctrinam biblicam partim complet (*traditio constitutiva*), partim illustrat (*traditio exegetica*); et

2. Quod illa sola s. Scripturae interpretatio doctrinalis est genuina, quae in rebus fidei et morum christianorum cum *mente Ecclesiae catholicae congruit*.

Authentica locorum s. Scripturae interpretatio tum *in* ipsis ss. Libris, tum *extra* eos supeditatur:

a) *In ipsis ss. Libris*

α) a loquente ipso, sensum suum exponente;

β) a Jesu Christo;

γ) ab hagiographis, utpote viris inspiratis;

b) *Extra Libros* ss. a magisterio Petro-Apostolico, utpote doctore infallibili, resp. in unanimi consensu ss. Patrum.

§ 30. Interpretatio catholica enuntiata a concilio tridentino.

Ecclesiam catholicam esse authenticam s. Scripturae interpretem, definivit etiam concilium tridentinum sequenti decreto ¹⁾:

»*Ad coercenda petulantia ingenia decernit* (sacrosancta synodus), *ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, s. Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimum consensum ss. Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent*«.

Decreto hoc statuit concilium:

1. **Normam**, contra quam s. Literas interpretari non licet, cui potius omnis earum interpretatio respondeat, nimirum *sensum Ecclesiae et unanimum ss. Patrum consensum*. Quaeri posset, cur

¹⁾ Sessione IV, de editione et usu sacrorum Librorum. — Occasionem huic decreto dedit Card. *Caietanus de Vio* († 1535), qui docebat, licitum esse in Scripturis exponendis novam interpretationem proponere, a Patrum unanimi sententia alienam: »quando cum textu concordat, neque cum fidei doctrina pugnat«. (Cf. Paulus Sarpi, *Historia concilii trid.*, Lipsiae, 1690, l. II, pg. 260, cui non contradicit Card. Pallavicini in sua: *Istoria del concilio di Trento*, Libro VI, c. 18.)

haec duo distinguantur, scilicet sensus Ecclesiae et consensus Patrum, cum Patrum consensus eatenus tantum auctoritatem habeat, quatenus sensum Ecclesiae repraesentat? Verum sciendum est, Ecclesiam posse mentem suam circa sensum s. Scripturae declarare vel *a)* per aliquod solemne decretum, aut aliquem solemnem et publicum actum, vel vero *b)* per ordinariam praedicationem et communem sensum Episcoporum et fidelium, cuius sensus legitimi interpretes et expositores sunt ss. Patres. Per *sensum Ecclesiae* igitur primus ille (*a*), per *consensum Patrum* alter modus (*b*) intelligendus esse videtur.

Quem vero Ecclesia tenuerit et teneat sensum, ipsa partim *immediate*, partim *mediate* manifestavit ac manifestat:

a) Immediate, dum in concilio congregata sensum suum sive *directe*, sive *indirecte* indicat:

α) Directe, dum vel generatim *versionem Vulgatam* sensu latiori authenticam, i. e. in essentialibus cum mente sacrorum auctorum consentientem declaravit (Trid. sess. IV), vel in *specie* determinavit, num hic vel ille s. Scripturae locus *proprie* an *tropice*, et de quam re ac quomodo intelligendus sit, quod e. g. Ecclesia fecit relate ad verba Christi: »Hoc est corpus meum«, »hic est calix sanguinis mei«, quae proprie intelligenda esse docet Trid. sess. XIII.

β) Indirecte, dum doctrinas fidei et morum expositas certis s. Scripturae locis confirmat et hac ratione simul indicat, quomodo illi loci intelligendi sint. Sic concilium tridentinum (sess. V) indirecte pandit sensum loci epistolae ad Romanos (5, 12): »Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt«, dum doctrinam de peccato originali hisce verbis Apostoli sustinet.

b) Mediate Ecclesia sensum suum manifestat:

α) Sententias haereticorum falsas, aut singulorum *virorum errores*, perversa sacrae Scripturae interpretatione nixos, damnando.¹⁾

β) Preces publicas introducendo, *praxin* et *consuetudines* pias servando, quibuscum hic vel ille quorundam s. Scripturae locorum sensus conciliari nequit.²⁾

1) Uti Origenis evirationem, Matth. 5, 29. 30; 18, 8. 9; 19, 12 et Chiliastarum commenta, Apoc. 20, 4 et similibus locis innixa.

2) Sic, dum Ecclesia *Psalmorum cantum*, vel *Breviarii recitationem* clericis iniungit et *longiores preces* observat, *mediate* manifestat, verbis Christi (Matth. 6, 7): »Orantes autem nolite multum loqui«, preces longiores non prohiberi.

Si e nominatis subsidiis sensus Ecclesiae non potest cognosci, tunc, uti decretum concilii docet, confugiendum est:

c) Ad *interpretationem ss. Patrum*, quorum consensus est sensus Ecclesiae; nam Patres, uti s. Augustinus ait ¹⁾: »quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt«.

Ut autem Patrum interpretatio *norma* sit interpretationis catholicae, debent in sensu cuiusdam loci determinando *omnes consentire*; quodsi quisquam ex professo dissentit, quin sententia eius contraria a reliquis aperte impugnetur, aut ceu erronea reiiciatur, aut constanti Ecclesiae praxi manifeste repugnet, consensus reliquorum non est unanimitas, nec totius Ecclesiae fidem repraesentat. Attamen *non* requiritur consensus Patrum *mathematice universalis*, quia non omnia Patrum opera ad nos pervenerunt, nec etiam omnibus necessitas aut occasio erat, de iisdem s. Scripturae locis verba faciendi, sed sufficit consensus eorum *moraliter universalis*, i. e. tot et talium Patrum, quorum testimonium fides totius Ecclesiae merito haberi possit.

Talis *consensus Patrum unanimitas* habendus est:

α) Si Patres maxime insignes priorum VI saeculorum concordant.

β) Si plures Patres consentientes tanta cum confidentia et certitudine loquuntur, ut ne minimam quidem timeant contradictionem.

γ) Si pluribus tantum consentientibus notum est, Patres reliquos nonnisi ideo silere, quia vel deerat ipsis occasio, fidem suam contestandi, vel quia ceteris assentiunt hocque aut expresse aut tacite indicant.

δ) Si omnes vel saltem praecipui Patres aut Orientis aut Occidentis consentiunt eisque a nemine orthodoxorum contradicitur.

ε) Si nonnullorum Patrum consentientium effata ab Ecclesia approbata sunt.

2. Unanimitas Patrum consensus spectet necesse est res *fidei* et *morum christianorum*, qui loci breviter vocari possunt *loci dogmatici*.

Id postulat concilium tridentinum, dum decreto illo definivit **ambitum** eorum, quae ad illam normam sunt interpretanda, dicens:

¹⁾ Contra Julianum l. II, c. 9.

»*In rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium*«. ¹⁾ Per aedificationem seu aedificium doctrinae christianae non tantum summa doctrinarum christianarum, sed etiam earum *argumenta et fulcra* intelliguntur. E mente concilii ad illam normam interpretandi sunt omnes s. Scripturae loci, quorum argumentum cum doctrina Ecclesiae tali in nexu positum est, ut illis contra sensum Ecclesiae intellectis dogma quoddam vel immediate subverteretur, vel saltem argumentis et fulcris suis privaretur. ²⁾

3. Concilium **rationem** reddit, cur non liceat in rebus fidei et morum christianorum s. Scripturam *contra sensum Ecclesiae interpretari, dicens*: »*Cuius (Ecclesiae) est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum*«.

Dicitur Ecclesia *iudicare*, quia Ecclesia non investigat sensum singulorum s. Scripturae locorum, sed qua authentica interpres unanimi ss. Patrum testimonio nixa ac doctrinam Apostolicam tenens, sententiam fert, quinam sensus et quaenam interpretatio cum doctrina Apostolica vel conveniat, vel ab ea divergat.

4. Tandem concilium significavit **scopum** huius decreti, dicens: »*Ad coërcenda petulantia ingenia — ut nemo suae prudentiae innixus — sacram Scripturam ad suos sensus contorquens — interpretari audeat*«. Editum ergo est hoc decretum, ut arcerentur s. Scripturae *abusus*, qui petulantia hominum fiunt.

Quamvis decretum hoc forma *negativa* conceptum sit: »*ne quis contra eum sensum*« etc., per se tamen elucet, illud simul complecti *positivum* praeceptum: *S. Scripturam iuxta sensum Ecclesiae et unanimum consensum ss. Patrum interpretare*. Veritatem huius confirmat *professio fidei* catholicae, ad decreta concilii tridentini composita, a Pio IV confirmata et ab universa Ecclesia agnita et introducta, quae sensum decreti illius *positive* exprimit: »*S. Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia . . . admitto, nec eam unquam nisi iuxta unanimum consensum Patrum accipiam et interpretabor*«.

¹⁾ Nota prudentiam concilii; non enim dixit: *ad aedificationem fidelium*, quia tunc omnes Scripturae loci comprehenderentur (cf. Rom. 15, 4), sed dixit *ad aedificationem doctrinae christianae*, quod valde diversum est.

²⁾ V. c. Matth. 13, 55 et Marc. 6, 31, num Christo *fratres et sorores* fuerint sensu proprio? — Joan. 14, 28: »*Pater maior me est*«.

Nihilominus quidam catholici auctores,¹⁾ decretum tridentinum perverse interpretantes, dicebant, ipsum nullam positivam normam praescribere, i. e. non postulare, ut Ecclesiae et Patrum de locis dogmaticis interpretationes recipiantur, sed tantum negativam, ne scilicet interpres expositiones proponat Ecclesiae et Patrum fidei repugnantes. Hi nempe contendebant, concilium sub sensu Ecclesiae non intellexisse *sensum Scripturae* ab Ecclesia propositum, sed sensum, seu *doctrinam fidei*, quam Ecclesia docet, ita ut decreto concilii solum vetitum esset, s. Scripturam contra *analogiam fidei* catholicae exponere. Attamen hanc sententiam iam prius a plurimis catholicis scriptoribus oppugnatam reiecit etiam concilium vaticanum sequenti declaratione²⁾: »*Quoniam vero, quae sancta tridentina synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, nos idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, atque ideo nemini licere, contra hunc sensum aut etiam contra unanimum consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari.*«

Decreta concilii tridentini et vaticani nullam novam interpretandi regulam induxerunt, quod e constanti Ecclesiae testimonio ac traditione evincitur. — *S. Hippolytus* narrat³⁾, Noëtum ex ordine sacerdotali depositum fuisse, quod Scripturas non iuxta mentem Patrum et Ecclesiae, sed ex proprio iudicio exponeret. — Accedit auctoritas conciliorum, e. gr. can. 19 conc. trullani, ubi Ecclesiae praesulibus hoc praeceptum iniungitur: »*Si ad Scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam quomodo Ecclesiae luminaria et Doctores suis scriptis exposuerunt.*«

Tam firma et universalis haec olim fuit Ecclesiae persuasio et praxis, ut ipsi schismatici, inde a saeculo IX a Sede Apostolica

¹⁾ Primus, qui novam hanc decreti interpretationem invexit, fuit *Joannes Jahn* in introductione in LL. V. Testamenti, I, § 91. Ipsum secuti sunt: *Anonymus eius vindex*, Lipsiae, 1822, pag. 106, 119 sqq., *Arigler*, Hermeneutica bibl. gen., Viennae, 1813, pag. 31—34, *Lang*, Patrologia, Budae, 1859, pag. 278 et etiam clarissimus *Möhler* in Symbolica.

²⁾ Sess. III, cap. II, de revelatione.

³⁾ Contra Noët., c. 9.

divulsi, eandem tamen regulam retinuerint in expositione Scripturarum, ut solemniter declaraverunt in concilio Hierosolymis coacto a. 1672 adversus Reformatorum errores: siquidem in professione fidei ibi prolata et confirmata inter cetera haec leguntur: »*Credimus, ss. Scripturas fuisse revelatas, eisque propterea non ut libuerit, sed secundum Ecclesiae catholicae traditionem et interpretationem adhibendam esse fidem*«.

§ 31. Analogia fidei.

Analogia pro suo etymo est relatio (Cicero: portio); dein congruentia alicujus rei ad aliquid relatae. **Analogia fidei**¹⁾ est congruentia eorum, quae ad fidem pertinent, seu convenientia cum summa veritatum religiosarum, quas Ecclesia credendas tradit fidelibus.

Considerari potest analogia vel inter solas veritates in Scriptura revelatas, vel inter omnes veritates fidei, sive in Scripturis continentur, sive tantum in traditione, sive in utroque simul revelationis fonte. Si primo illo modo consideretur, dicitur analogia fidei *biblicae*, si altero modo, dicitur analogia fidei *catholicae*.

Protestantes analogiam primam tantum postulant, quae fere confunditur cum parallelismo biblico (locis parallelis), quia nempe nullum alium agnoscunt revelationis ac fidei fontem praeter sacram Scripturam.

Analogia fidei *biblicae* iterum considerari potest: *a)* quatenus in *uno auctore* sacro, e. gr. s. Paulo, proposita invenitur (analogia fidei biblicae sensu strictissimo); vel *b)* quatenus in omnibus *Novi Testamenti* Libris proposita reperitur (analogia fidei biblicae sensu strictiori); vel *c)* quatenus in *Veteris et Novi Testamenti* Libris clare continetur (analogia fidei biblicae sensu latiori).

Omnes orthodoxi catholici scriptores juste contendunt, interpreti analogiam non solummodo fidei biblicae, sed totius fidei catholicae prae oculis habendam esse, quae quidem formaliter continetur in vivo magisterio Ecclesiae, seu publica praedicatione, materialiter vero in authenticis Ecclesiae decretis dogmaticis et in symbolis fidei, Ecclesiae auctoritate vulgatis, aut saltem receptis, nec non implicite in publica et universali Ecclesiae praxi. Sub hoc respectu considerata analogia fidei semper *negativum*, saepe

¹⁾ Phrasis haec desumpta videtur e Rom. 12, 6.

autem et diversimode etiam *positivum* criterium biblicae interpretationis constituit.

Interpreti s. Scripturae analogiam fidei adhibere *licet*. Si enim dicta philosophorum obscura e genio totius systematis illorum, aut in iurisprudencia leges ambiguae iuxta genium totius legum codicis explicantur, non perspicitur, cur id non in s. Scripturae expositione esset permissum? Omnes enim Libri sacri ad eundem veracissimum et sapientissimum Deum referendi sunt, quippe qui utriusque Testamenti unus est auctor.

Sed usus analogiae in s. Scripturae interpretatione non tantum licitus verum et *imperatus* est. Communis enim Hermeneuticae biblicae principium supremum interpretem iubet respicere culturam ss. auctorum intellectualem religiosam. Si vero interpretes jubetur respicere culturam ss. auctorum intellectualem religiosam, utique simul iubetur, cuius loco s. Scripturae nonnisi eum tribuere sensum, qui cum summa veritatibus religiosarum, prouti ss. auctoribus inerat, concordet. Si autem interpretes s. Scripturam ita interpretari iubetur, consequitur, ab eo respiciendam esse analogiam fidei; nam haec non est, nisi congruentia veritatis cuiusvis cum summa reliquarum veritatum religionis.

Admissa igitur existentia analogiae fidei catholicae, sequentes **regulas** statuimus:

1. *Omnis interpretatio analogiae fidei catholicae repugnans eo ipso reiicienda est.*¹⁾

2. *Quamvis non omnis interpretatio analogiae fidei catholicae conformis eo ipso statim admittenda sit ut verus Scripturae sensus, nihilominus consideratio eiusdem analogiae fidei etiam positive ad rectam Scripturae expositionem inveniendam interpretem iuvat ac dirigit.*²⁾

¹⁾ Cf. explicationem verborum Domini, Eucharistiam instituentis et deinde Apostolis praecipientis: »Hoc facite in meam commemorationem« (Luc. 22, 19 sq. coll. I Cor. 11, 24), de positivo praecepto, Eucharistiam fidelibus ministrandi sub utraque specie. (Cf. etiam Matth. 19, 9.)

²⁾ Cf. ad primam partem Joan. 20, 23: »Quorum remisistis peccata, remittuntur eis«, quod Protestantes false explicant de potestate data Apostolis, praedicandi Evangelium et per praedicationem excitandi fidem, qua demum peccata remittantur. Ad partem secundam videas I Cor. c. 7, ubi Paulus doctrinam de virginitate et matrimonio breviter perstringit, supponens ea, quae viva voce de iis docuerat, et ad ea appellans, inquit v. 17: »Sicut in omnibus ecclesiis doceo«. — Speciminis causa afferantur quidam loci s. Scripturae, qui positive lucem accipiunt

E dictis duo **corollaria** sponte fluunt:

a) *Nemo potest esse bonus interpres, qui non fuerit bonus theologus.*

b) *Protestantes, et multo magis Rationalistae, magno auxilio sese privant, cum Ecclesiae magisterium reiiciunt et totam fidei analogiam ad biblicum parallelismum revocant, qui saepissime inadaequatus est ad claram et plenam doctrinae intelligentiam praebendam.*



Pars tertia.

Prophoristica.

Tertia Hermeneuticae biblicae pars, quae **Prophoristica** vocari solet, versatur in sensus inventi *expositione*.

Quod iam sensus inventi expositionem attinet, *duo* ab interprete postulantur, scilicet primo ut *fidem* servet, ut nimirum non sua sed loquentis cogitata et sensa, eaque non perfectiora nec tenuiora, non plura nec pauciora proponat, quam loquens manifestare voluit; et dein ut expositio sit *perspicua*, i. e. ut audientes vel legentes clare cognoscant, quid loquens dixerit.

§ 32. Varii sensus exponendi modi.

Modi, quibus fit expositio sensus, varii sunt¹⁾, et dependent tum a *fine*, in quem, tum a *conditione personarum*, in quarum gratiam, tum a *forma*, qua interpretatio suscipitur.

ex analogia fidei catholicae. Ita e. gr. nisi theologus ex Ecclesiae doctrina sciret, sacramenta Baptismi et Confirmationis praeter gratiam sanctificantem etiam indelebilem characterem animae imprimere, nihil tale suspicaretur in verbis Apostoli II Cor. 1, 22: »Qui (Deus) et signavit (σφραγισάμενος) nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris«, aut in illis similibus Ephes. 1, 13: »In quo et credentes signati estis (ἑσφραγισθητε) Spiritu promissionis sancti«; doctrina vero hac supposita illico patescit allusio ad characterem Sacramenti indelebilem. Cf. Matth. 18, 18 et 16, 19.

¹⁾ *Sixtus Senensis* in Bibliotheca sancta l. III non minus quam viginti quatuor modos Scripturarum exponendi indicat ac fuse tradit.

1. Respectu *finis* s. Scripturae interpretatio fit, ut vel *intellectus* tantum imbuatur cognitione argumenti ss. Librorum, vel ut cognitio veritatibus biblicis simul *voluntas* moveatur, pia *sensa* excitentur firmaque *proposita* eliciantur; pro hisce sensus expositio enascitur *theoretica* et *practica*.

Alii expositionem hoc respectu distinguunt *historico-dogmaticam* et *moralem*, prouti scilicet interpretes vel historiam ac dogmata s. Scripturae explanare, vel praecipue mores lectorum informare sibi proponit.

2. Ratione *conditionis personarum*, in quarum gratiam s. Scriptura exponitur, est interpretatio *popularis* vel *erudita*, quatenus attemperatur vel rudiori vel cultiori lectorum ingenio.

3. Relate ad *formam* est expositio *simplex* vel *uberior*, prouti vel sola lingua originalis cum vernacula vel alia cognita permittitur, quod fit in *versione*, aut alio modo sensus clarior redditur vel *paraphrasi*, *commentariis*, *homiliis*, *adnotationibus*, ad quas revocamus *glossas*, *scholia* ac *postillas*, *dissertationibus* et *praelectionibus*.

§ 33. Versio.

Versio est scripti alicuius reproductio in lingua ab originali diversa. Quare in versione nihil prorsus sermoni auctoris additur, nihil demitur, nihil immutatur praeter linguam. Interpres enim vertens personam auctoris suscipit eiusque loco cognita lectoribus lingua loquitur; hanc auctoris personam deponeret, si quamcumque mutationem in sermonis materia aut forma praeter textum linguam sibi indulgeret.

Potest autem versio fieri vel directe ex originali textu, vel indirecte, seu ex alia antecedente versione. In primo casu dicitur *immediata*, in altero vero *mediata*. Rursum potest vel presse adhaerere vocabulis alterius linguae, vel liberius sensum referre. In primo casu dicitur *literalis*, in altero *libera*.

Notes optimaes versionis hae tres praecipuae sunt: *fidelitas*, *perspicuitas* et *elegantia*.

1. *Fidelis* versio respectu *materiae* originalem textum in sua integritate repraesentat, nihil prorsus immutans praeter vocabula seu linguam. Respectu *formae* debet fidelis interpres servata utriusque linguae proprietate originarium libri characterem et quasi

colorem, quoad licet, retinere et exprimere. Huc pertinet poëtica styli forma, imagines orientales, translatio alliterationis, paronomasiae vel allusiones etymologicae. Horum omnium exemplum laudabile praebet *Vulgata* latina, quae stylum ac formam originalium textuum apprime servat. Cf. v. g. Gen. 2, 23.

2. *Perspicuitatis* est, conceptum auctoris accurate et clare, nec pluribus nec paucioribus verbis, quam satis, exponere, quae originalibus vocabulis et auctoris menti adamussim respondeant, non tantum simile quid significant.

Perspicuitatis defectus in versionibus nimis verbalibus saepe offenditur, ut e. gr. in versione graeca Aquilae, quem Hieronymus *superstitiosum* interpretem vocat, et in versione syriaca Philoxeniana; neque ab hoc defectu prorsus immunis apparet *Vulgata* in quibusdam locis, praesertim in Libro Psalmorum.

3. Demum nec *elegantia* negligenda est; semper tamen subordinetur fidelitati et perspicuitati, quae dotes potiores sunt.

In genere statui potest, fidelitatem in omnibus versionibus, ecclesiastica auctoritate probatis et publico usu receptis, substantiam rerum quod attinet, reperiri; at perspicuitatem et elegantiam non semper perfecte haberi in plerisque antiquis versionibus, etiam ecclesiasticis. Contra in versionibus, recenter adornatis a Protestantibus vel Rationalistis, studiose servatae sunt perspicuitas et elegantia, haud raro cum praeiudicio fidelitatis et veritatis. Hinc Ecclesia novas versiones haud facile admittit et in usibus suis antiquas et longo saeculorum decursu probatas retinet, vernaculas autem versiones nonnisi sub certis conditionibus permittit.

§ 34. Societates biblicae.

Societates biblicae inter Protestantes ortum habuerunt et vigent. Inde ab anno 1698 et dein decurrente saeculo XVIII in *Anglia* plures societates ad propaganda Biblia exortae sunt.

In *Germania* primo fundata est societas *hallensis* a Carolo Hildenbrando I. barone de *Canstein*, († 1719) a. 1712, post vocata »*Canstein'sche Bibelanstalt*«.

Mox aliae successerunt per diversas Germaniae regiones dispersae. Anno 1889 societates germanicae 299.692 exemplaria Bibliorum divulgaverunt.

Cunctas vero superat »*Britannica societas ad Biblia sacra domi et foris edenda*« (Britische und ausländische Bibelgesellschaft), fundata 7 Martii 1804 Londini. A societate matre dependent societates *adiutrices*. Adiutricibus subiectae sunt *filiales* et *associationes* biblicae, quae imprimis pecuniae colligendae inserviunt. Anno 1883 solummodo in Anglia et Hibernia erant 997 societates adiutrices, 364 filiales et 3515 associationes. In orbe terrarum exstant circa 10.700 associationes.

Usque ad finem Martii 1889 edita sunt solummodo ab hac societate 120,136.783 exemplaria in 350 linguis, sumptibus 129,000.000 florenorum. In specie lingua *slovena* usque ad a. 1881 edita sunt 38.500 exemplaria Bibliorum.

Ab anno 1830 *agenturae* in principalioribus urbibus Continentis constitutae sunt; in Austria Vindobonae, Pragae et Tergesti. Anno 1880 fungebantur 469 circumportantes, in Austria 44.

Ad exemplum anglicae fundata est 1805 Dublinii societas *hibernica*, 1806 *helvetica*, 1814 *russica*, dein plures in Germania et Gallia. Prioribus huius saeculi decenniis tales societates etiam in Asia, Africa, America et Australia fundatae sunt.

Versiones s. Scripturae, quas societates biblicae divulgant, plerumque confectae sunt per auctores acatholicos, interdum etiam per catholicos, uti *slovena*. — Studia harum societatum impuro zelo e Catholicis adiuuabant: Michael Wittmann, Leander van Ess; inter Russos Archiepiscopus mochilowiensis, Stanislaus Siesterzencewicz.

In plerisque harum versionum multa occurrunt laedentia verum et orthodoxum Scripturae sensum. Anno 1826 per decretum societatis anglicae suppressi fuerunt et expuncti e Veteris Testamenti versionibus septem Libri »deuterocanonici«, quos anglicana ecclesia in sua recepta versione semper retinuerat et adhuc retinet, quamvis sub nomine *apocryphorum* seu *hagiographorum*. Hac de causa et ob gliscentes quotidie abusus multi vel e Protestantibus alte conclamarunt adversus societates biblicas. Quid mirum, si etiam Sancta Sedes praedictas societates earumque libros damnavit, id iure meritoque fecerunt Pius VII, Leo XII, Pius VIII, Gregorius XVI, Pius IX.¹⁾

¹⁾ Cf. *Wetzer et Welte*, Kirchenlexicon, ed. 2, articulum »Bibelgesellschaften«. Cf. etiam *Ubaldi*, Introductio, III, pg. 488--500; — *Stimmen aus Maria Laach*, 1890, VI, pg. 106, ubi in fine articuli scribitur: »Was ist aus all' diesen Bibeln geworden? Wieviele derselben sind gelesen worden? Im Jahre 1889 wurden

§ 35. Paraphrasis.

Paraphrasis est clarior et uberior expositio s. Scripturae, continuo sermone efformata. In paraphrasi continua oratio servatur atque ipse quasi auctor loquens sistitur, illustrando omnia, quae lectoribus seu auditoribus obscura sunt ob contextum difficiliorem, vel dubia ob dictionem adhibitam, vel plane incognita aut non satis clara ob ipsas notiones et res expressas.

Ut paraphrasis dici queat *bona*, sequentibus gaudeat dotibus:

1. Sit *perspicua*.
2. *Fidelis*.
3. *Brevis*.

Perspicua est, si omnia in sermone auctoris obscura vel ambigua sive ob brevitatem sermonis, sive ob dictionum ambiguitatem, sive e rei natura, sive e difficultate contextus per opportunas circumlocutiones et additiones verborum removentur.

Fidelis est, si sensum non immutat eum angustiolem aut latiolem, tenuiolem aut perfectiolem exhibendo; si nulla nova addat, aut ea, quae in textu exstant, omittat.

Non brevis, sed *verbosa* et *prolixa* esset paraphrasis, si vel omnia verba, etiam ea illustrarentur, quae per se iam clara sunt; aut si ea, quae per se clara sunt, obscurioribus, quae iterum dilucidatione indigent, amplificarentur.

Paraphrasi scriptae adiungi solent duo adminicula: *analysis* et *adnotationes*.

Analysis sermonem dividit in suas partes earumque nexum paucis indicat, atque ita eius intelligentiam faciliolem reddit.

Adnotationes vero, ad calcem paraphrasi appositae, paulo uberius exponunt, quod illic breviter propositum est, simulque rationem lectoribus reddunt, cur unus sensus prae alio acceptus fuerit.

Inter paraphrastas eminent *Casparus Sanctius*, S. J., († 1628) et *Thomas Leblanc*, qui commentariis suis in Vetus Testamentum addere solent accuratam paraphrasin; *Erasmus rotterodamus*, ob

allein in Deutschland über 600.000 ganze oder Theil-Bibeln verbreitet und zwar mit einem Geldaufwande von mehr als 200.000 Mark. Was aber wird damit genutzt? Und was ist im ganzen Jahrhundert auf der ganzen Welt damit erreicht worden? Bei den Protestanten äusserst wenig, bei den Katholiken so viel wie nichts, bei den Heiden weniger als nichts. — Cf. etiam Lit. Handweiser, 1890, Nr. 505, Sp. 346.

celebrem paraphrasin Novi Testamenti latinam, et *Dominicus de Brentano*, qui germanicae versionis a se conceptae paraphrasin addidit. Praeprimis celebres sunt paraphrases in epistolas s. Pauli auctore *Bernardino a Piconio*.

§ 36. Scholium et glossa.

Scholia ¹⁾ a Graecis praesertim alexandrinis olim dicebantur breves quaedam expositiones difficiliorum locorum in libris sive sacris sive profanis occurrentium, quae quidem mox in margine codicum addebantur, mox textui inserebantur, vel etiam ad calcem librorum reiciebantur. Scholiis praepimis illustrantur vocabula obscura, describuntur res antiquae, ritus, dilucidantur mores, geographica, historica et in genere archaeologica. ²⁾

Glossae ³⁾ vocabantur explicationes difficiliorum et rariorum vocabulorum, in veterum scriptis occurrentium. Praeprimis glossae ea explicant, quae ob raritatem usus non sunt satis clara.

Collectiones harum explicationum **Glossaria** dicta sunt. Huiusmodi sunt nota *Hesychii*, *Suidae* et *Phavorini* lexica, in quibus promiscue tum sacrorum tum profanorum librorum voces illustrantur. ⁴⁾

Latini nomina *scholium* et *glossa* quidem receperunt, discrimen tamen significationis eorundem nominum non servaverunt. Nomine enim glossarum intelligebant breviores explicationes sive verborum, sive sensus s. Scripturae. Hinc *Glossa ordinaria* et *Glossa interlinearis* aevo medio percelebres.

Glossa ordinaria, ⁵⁾ vel *marginalis*, concinnata fuit a *Wallafrido Strabone*, abbate monasterii Augiensis, saec. IX. Excerpta est prae-

¹⁾ Σχολή, otium; ex usu recentiori (ab aetate Aristotelis) schola est conventus discentium ac disserentium (Act. 19, 9).

²⁾ Scholia, Libris sacris Novi Testamenti apposita et in multis codicibus sparsa, in unum collecta fuerunt et vulgata imprimis a Joanne *Gregory*, Oxonii, 1703; et Christ. Frid. *Matthaei*, Rigae, 1783—1788.

³⁾ Γλῶσσα, lingua, sermo; meton. gens, metaph. flamma.

⁴⁾ Excerpta horum librorum, ad s. Scripturam pertinentia, vulgavit C. G. *Ernesti*, Lipsiae, 1785 et 1786. Plura glossaria minora vulgata sunt elapso saeculo a C. F. *Matthaei*, Moscoviae, 1774—1775.

⁵⁾ *Ordinaria* dicta est ob generalem eius usum apud scholas et scriptores medii aevi, tantique eam fecerunt scholastici doctores, ut Petrus lombardus eam autonomastice passim appellet *auctoritatem*.

sertim e commentariis ss. Hieronymi, Augustini, Gregorii M. et Rhabani Mauri.¹⁾

Glossa interlinearis saeculo XII apparuit opera *Anselmi laudunensis*.²⁾ Dicta est interlinearis, eoquod in exemplaribus Vulgatae Latinae inter lineas inscribi solebat, cum brevissima sit, nec continuam expositionem, sed seiunctas notulas in obscuriores locos complectitur. Glossa interlinearis non tantae auctoritatis ac ordinaria unquam fuit.³⁾

Nunc appellationes hae (σχόλια, γλωσσαι) vix amplius in usu sunt, sed dilucidationes cuiusvis generis in sacram Scripturam latina voce **adnotationes** (Anmerkungen, opomnje) plerumque vocantur, quarum dotes, ut bonae sint, recensentur: *fidelitas*, *claritas* cum *brevitate* conjuncta.⁴⁾

§ 37. Postilla et catena.

Postillae sunt explicationes pericoparum dominicalium paulo ubiores quam glossae, et ita dictae sunt ex eo, quod recitatis verbis textus, i. e. post praelectam lectionem et evangelium, ergo »post illa«, jussu Caroli M. in ecclesiis praelegebantur. Iussu eiusdem imperatoris hasce postillas ex antiquis ss. Patrum et interpretum homiliis excerpsit et collegit *Paulus Warnefridus*, alias dictus Paulus diaconus, vel levita, († 799), edidit vero *Nicolaus lyranus*, o. s. Fr., († 1340). Adnotationes seu additiones ad postillas Nicolai de Lyra adiecit *Paulus*, burgensis Episcopus, († 1435), qui postillatorem, ubi nimis leviter traditionem exegeticam reliquisse videbatur, ad traditam explicationem revocavit, aut alias expositiones Libris addidit. Additionibus Pauli burgensis *Mathias toringus*, o.

¹⁾ *Rhabanus Maurus*, monachus, deinde abbas fuldensis ac demum Archiepiscopus moguntinus, † 856.

²⁾ *Anselmus laudunensis*, ita dictus a patria Lauduno in Gallia, nominatus etiam a munere *scholasticus*, discipulus Anselmi cantuariensis, magister parisiensis et laudunensis, † 1117.

³⁾ Edita fuit Basileae 1502 et 1508; editio optima est antwerpiana ex anno 1634.

⁴⁾ Adnotationes in s. Scripturam plures conscripserunt inter antiquos et recentiores; e. gr. Guil. *Estius* in suis adnotationibus in praecipuos et difficiliore s. Scripturae locos, quae habentur in eius operum t. III, Venetiis, 1759 et Emmanuel *Sa*: Notationes in totam s. Scripturam, Antwerpiae, 1598.

Min., † 1460), opposuit suas »Replicas«. — Haec omnia deinceps in unum corpus conflata sunt sub titulo »Biblia sacra cum glossa ordinaria a Strabone fuldensi et postilla Nicolai Iyrani, additionibus Pauli burgensis ac Mathiae toringi, replicis theologorum duacensium studio emendatis«, t. VI, Antwerpiae, 1654; quod opus breviter »*Biblia ordinaria*« dici solet.

Catena apud veteres dicebantur expositiones Librorum ss. continuatae, e textibus antiquorum doctorum conflatae. Catena potissimum apud Graecos a saeculo VI—XIII apparuerunt sub nomine συλλογαί, vel συναγωγαι ἐρμηνειῶν, vel ἐξηγήσεις συναρμισθεΐσαι. Singulis plerumque explicationibus nomen s. Patris, cui debentur, adscribitur; sed a librariis permulta nomina videntur esse permutata. Catena *graece* praeprimis excerptae sunt ex Origene, Chrysostomo, Theodoro cyrensi et Cyrillo alexandrino. E latinis simul et graecis Patribus (summatim 80) s. Thomas catenam in quatuor Evangelia confecit, quae vulgo *catena aurea* dicitur.

§ 38. Commentarius.

Commentarius est erudita, plena rationibusque firmata expositio vel *universae* s. Scripturae, vel solius *Novi*, vel *Veteris* Testamenti, vel etiam *unius* tantum Libri sacri.

Commentario regulariter praemittuntur *historicae notitiae* de auctore, scopo et adiunctis Libri vel sermonis exponendi. Item ante singula capita *argumentum* seu summarium praemittendum est, una cum *analysisi* breviter et clare proposita totius loci.

Commentarius esto: *fidelis, clarus, completus, brevis*.

Si opportunum videtur, commentario adiungi possunt *dissertationes exegeticae*, ut videre est e. gr. in commentariis *Aug. Calmet*, o. s. B., † 1757, ubi singulis tomis dissertationes biblicae de quibusdam locis ac rebus obscurioribus adpositae sunt.

Dissertationes hae exegeticae tamquam complementum et supplementum commentariis inserviunt.

Postremo animadvertendum est, commentarium coniungi posse cum aliis expositionis generibus, nempe versione, paraphrasi et adnotationibus; imo valde opportunum hoc est et ad expositionis perfectionem quodammodo pertinere videtur.¹⁾

¹⁾ In exemplum adducimus *Bernardini a Piconio* (Pequigny), ord. Min. Cap., † 1709, epistolarum B. Pauli Apostoli triplicem expositionem: analysisi, paraphrasi

§ 39. Interpretatio popularis practica.

Interpretatio popularis practica est illa, quae praecipue aedificationem religioso-moralem lectoris intendit, i. e. animum piis sensibus imbuere et voluntatem ad bonum peragendum determinare conatur, ad mentem Apostoli: »Sapientibus et insipientibus debitor sum«. (Rom. 1, 14).

Haec expositio sit:

1. *Simplex* cum *claritate* coniuncta.

2. *Practica*, ideoque non solum mentem auditorum illustret, sed etiam affectus moveat et voluntatem ad bonum alliciat, addendo expositioni exhortationes et incitamenta.

3. Formam specialem quod attinet, in *homiliis*¹⁾, quae dividuntur in *maiores* et *minores*, commentarium imitari oportebit, in *scripta vero expositione* licebit etiam *paraphrasin* adhibere, dummodo simplici claroque stylo exarata sit, additis quoque brevioribus adnotationibus, non tam criticis aut philologicis, quam dogmaticis et asceticis, iisque e thesauro sanctorum Patrum, quantum fieri potest, depromptis.

Nihil fortasse aptius huic populari expositioni, quam Libri s. Scripturae historici et morales.

Optima popularis expositionis exempla suppeditant sancti Ecclesiae Patres in suis *homiliis* et *tractatibus* in s. Scripturam, prae ceteris s. Joannes Chrysostomus, († 407), in homiliis super Pauli epistolas, et s. Gregorius M., († 604), tum in libris »Moralium in Job«, tum in homiliis super Evangelia.²⁾



commentario, quibus additur corollarium pietatis. — Eminent etiam Joannes Theod. Beelen cum commentario in epistolam S. Pauli ad Romanos, Lovanii, 1854.

¹⁾ Ὁμιλία, a ζμίλος et hoc ab ἐμός, simul et ἡ ἕλη, turba, congressus, societas.

²⁾ Cf. etiam A. M. Slomšek »Hrana evangeljskih nauk« et »Hrana apostoljskih nauk« nec non dr. Leonardi Klofutar, »Svete listne bukve katoliške cerkve«, Labaci, 1878.

Additamentum.

Interpretatio rationalistica.

§ 40. Interpretationis rationalisticae origo, progressus et variae formae.

Quamvis antiqui haeretici *practice* spernerent catholica principia et Scripturam s. ad suos errores contra Ecclesiae mentem detorquerent, generatim tamen non enunciabant *theoriam* aliquam, qua dicerent, Scripturae interpretationem independentem esse a sensu Ecclesiae et traditionis: quinimo omnibus modis conabantur, Ecclesiam et Patres in suum sensum pertrahere. Demum »*Reformatores*« Lutherus, Calvinus, Zwinglius aliique formaliter ut principium enunciarunt: *Unumquemque fidelem per se et absque ullo respectu ad authenticum Ecclesiae magisterium Scripturam intelligere posse et ex ea fidei suae normam accipere debere.* Hoc commune fuit principium omnium Protestantium.

Verum in explicanda ratione, qua unusquisque Christianus ad Scripturarum intelligentiam perveniat, inter se dissentiebant et in duo diversa systemata abierunt: aliud est systema *rationale* Lutheranorum, Anglicanorum aliorumque, qui e privato uniuscuiusque iudicio dicebant, Scripturae sensum certo determinari posse; aliud autem est systema *pietisticum*, a Calvinistis proclamatum, in quo supponitur, unicuique fidelium Spiritum s. adesse, interna et privata illustratione revelantem Scripturarum sensum.

I. Systema rationalisticum.

Origo.

Systema rationalisticum, a Luthero proclamatum, mox etiam a Zwinglianis et Anglicanis approbatum est. Ast distingui debet primum systema rationale Protestantium — nominemus illud breviter causa *protestanticum* — et *rationalisticum* stricte tale. Utrumque convenit in eo, quod excludat Ecclesiae iudicium et solam rationem iudicem constituat in s. Scripturae interpretatione. Discrepant autem in hoc,

quod *Protestantes* (orthodoxi dicti) rationem volunt esse iudicem sub respectu tantum *hermeneutico*, scilicet in decernendo, quinam sit Scripturae sensus. Hunc autem semel inventum parati sunt recipere, etiam si aliquid supernaturale contineat; siquidem Scripturae tum veracitatem tum divinitatem admittunt. *Rationalistae* sensu stricto vero rationem individualem iudicem constituunt etiam sub respectu *critico*, scilicet in decernendo, utrum sensus Scripturae verus sit et admittendus, an falsus et corrigendus. Primi volunt per se iudicare de sola veritate hermeneutica locorum s. Scripturae, secundi etiam de veritate objectiva.

Progressus.

Principia memorata mox fructus suos edere coeperunt, discordiam nempe incredibilem. Ut ingruenti malo remedium afferrent, coeperunt Protestantes consessus seu *consistoria* convocare et *symbola fidei* seu, uti vocabant, »*confessiones*« (e. gr. augustanam, helveticam) et *libros symbolicos* edere. A professoribus et ministris suis non modo jusjurandum exigebant, sed aliquando etiam mulctis et carcere conabantur omnes ad symbolicam illam fidei professionem cogere. Ast non est allatum tali modo discordiae remedium, imo mox elementa et fundamenta religionis christianae labefactari coeperunt per *Socinianismum*.¹⁾ Dicebant nempe Sociniani, mysteria christianae fidei in Scripturis revelata eo tantum sensu esse admittenda, quatenus ad veritates philosophicas (i. e. rationis captum non transcendentes) reduci possunt, non autem eo sensu, quo captum rationis superant. Interim vero terminologia dogmatico-ecclesiastica retinenda est. Sociniani igitur a Rationalistis proprie non differunt, nisi forte in terminologia, seu in usu loquendi magis dogmatico.

Haec effrenis cogitandi licentia, qua omnis revelatio ac genuina Scripturae interpretatio tollitur, proprie *Rationalismus* religiosus ac biblicus, seu exegeticus dici solet. Rationalistae hi — praeprimis in Germania — specie tenus Scripturam admittebant et summis laudibus extollebant, interim vero ope biblicae eruditionis, prae-

¹⁾ Auctores Socinianismi sunt: *Laelius Socinus*, natus Senae in Italia, vivens in Polonia et Helvetia, † 1562 Tugurii. Ipsius nepos et haeres, *Faustus Socinus*, † 1604, ex acceptis haereditate scriptis systema antitrinitarium, in catechismo rakowiensi contentum, composuit. Haeretici hi in imperio austriaco (in Hungaria et Transsylvania) sub nomine »Sociniani«, »Unitarii«, vel »fratres poloni« specialem sectam constituunt.

sertim philologiae et archaeologiae ita eam explicandam esse contendebant, ut omnia supernaturalia, sive in ordine veritatum (mysteria), sive in ordine factorum (miracula) ab ea eliminarentur.

Hujus *novae exegeteos* et Rationalismi biblici fundator fuit Joan. Salomon *Semler*, professor hallensis, † 1791, auctor theoriae accommodationis.

a) **Theoria accommodationis.**

Accommodatio in genere est loquendi aut agendi ratio aliis attemperata. Ejus species sunt:

a) *paedagogica*, si quis institutionem suam ad captum et indigentias alterius attemperando nonnisi ea et eo modo docet, quae a discipulo intelliguntur;

b) *moralis*, ubi quis actionem in se licitam ratione habita aliorum conscientiae vel ponit, vel omittit;

c) *aesthetica* seu *rhetorica*, quando loquens ad sua cogitata sensaque exprimenda verbis alterius utitur;

d) *negative dogmatica*, dum aliquis relate ad tenuiores vel falsas aliorum opiniones aut sententias vel silet, vel eas nonnisi indirecte approbat; et

e) *positive dogmatica*, si quis aliorum sententias, quas imperfectas aut falsas esse scit, tanquam suas affert, approbat et ut veras tractat.

Christum et Apostolos *formaliter* (paedagogice, moraliter, aesthetice et negative dogmatice) se accommodasse, non est cur negemus: ipsos vero *materialiter*, seu positive dogmatice, se accommodasse, nunquam possumus concedere.

Semler vero, cui Scriptura non fuit, nisi collectio librorum, qui olim in coetibus christianis praelegebantur, neque tamen majorem quam profani habuerint auctoritatem, contendere ausus est, Christum Dominum et Apostolos sese falsis Judaeorum opinionibus *materialiter* seu positive dogmatice accommodasse, i. e. illos multa docuisse, quae cum falsa judaica doctrina consentiant, quamvis ea falsa esse scirent. Christum et Apostolos nempe, licet praejudiciis judaicis minime tenerentur, scivisse, nequaquam sperari posse Judaeorum conversionem ad evangelicam doctrinam, si Judaeos ab illis erroribus ac praejudiciis avertere tentarent. Quam ob causam diligenter discernendas esse veras Domini doctrinas ab

erroribus judaicis, i. e. ab omnibus doctrinis, quas Judaeos illa aetate tenuisse opera Philonis alexandrini, Josephi Flavii et Rabinorum ostendunt. Primas illas veritates (naturales) recipiet interpres tanquam partem religionis evangelicae, alterius vero classis doctrinas (supernaturales) reiiciet tanquam erroneas Judaeorum opiniones. Hac de causa praefatum systema a nonnullis systema **sensus vulgaris** dictum est.

Semler-o concinit Joan. Gotth. **Eichhorn**, (1752—1827), professor gottingensis, qui principium statuit, omnia illa in s. Scriptura Novi Testamenti (inter mythos relato Antiquo Testamento) pro judaicis commentis habenda esse, quae cum *recta* (i. e. deistica vel rationalistica) ratione non conveniunt.

Catholici Scripturam tum Antiqui tum Novi Testamenti pro collectione Librorum sacrorum habemus, proinde systema praedictum *impium* declaramus.

Accommodationem autem positive dogmaticam quod attinet, gravissimum sane est peccatum, si quis aliorum errores externe et positive approbat, licet interne dissentiat. Ast character Christi et Apostolorum talem accommodationem omnino excludit, character inquam sive personalis et privatus, sive officialis, uti aiunt, et publicus. Exinde systema Semler-i, qui Dominum et Apostolos aperti mendacii accusare audet, etiam *blasphemum* stigmatizandum est.

Loci tandem illi s. Scripturae, quos Semler et asseclae ipsius ad probandum suum systema proferunt (I Cor. 3, 1. 2 coll. Hebr. 5, 12; I Cor. 9, 20; Matth. 9, 2; 11, 14; Act. 16, 3 etc.), de accommodatione formali (videsis supra a) b) c) d)) explicandi sunt.

b) **Systema interpretationis moralis.**

Immanuel Kant, philosophus celebratissimus regiomontanus, (* 1724, † 1804), principium fundamentale Hermeneuticae biblicae hoc esse contendit¹⁾: Sensus **moralis** literali est praefendus; proinde neglecto etiam literali, ubi opus fuerit, semper investigandus et exponendus est moralis. Per sensum moralem autem non illum intelligit, qui ad pietatem fovendam et morum sanctitatem pro-

¹⁾ In operibus: »Kritik der reinen Vernunft«, 1781; »Kritik der praktischen Vernunft«, 1788, et »Religion in den Grenzen der reinen Vernunft«.

movendam locis biblicis literaliter expositis adjicitur, sed illum, quo effata biblica sensu literali intellecta ad principia practica rationis purae revocantur et perficiuntur, ubicunque sensus literalis hisce principiis non satis consentaneus esse videtur. Perficiendum vero, resp. *sensu morali* exponendum esse omne illud, quod ordinem naturalem et rationis principia supergreditur.

Kant ipse suam interpretationem **authenticam** vocabat, sequaces vero **historicam**.

Hodiedum non modo a Catholicis sed etiam ab orthodoxis Protestantibus hujusmodi systema passim rejicitur, et quidem jure, nam omnino *arbitrarium, absurdum* ipsoque *interpretationis nomine indignum est*.

Nam falsum est, Scripturam sacram nonnisi moralia praecepta continere. Falsum porro, impium ac absurdum est affirmare, in s. Scripturis quaedam inveniri, quae si accipiantur secundum sensum historicum et literalem, cum moralibus principiis conciliari non possint. Imo ne nomine quidem interpretationis digna est haec methodus. Interpretari enim significat illud ipsum intelligere atque exponere, quod auctor dicere voluit, non autem, eo rejecto, aliud quidpiam ei substituere.

c) Interpretatio psychologica seu notiologica.

Hanc interpretationem introduxit Dr. Henricus Eberardus **Paulus**, professor heidelbergensis, (1761—1851).¹⁾ Totum artificium huius interpretationis in nova quadam distinctione inter *factum* narratum in ss. Libris et inter *judicium* de hoc facto consistit. Priori nomine designat Paulus rem, quam Evangelistae spectatores accidisse testantur, altero opinionem, quam sibi de huius rei causis efformarunt. In narrationibus autem factum et iudicium ita copulari et permisceri censet, ut plane confundantur. Interpretis igitur munus esse statuit, ut in evangelicis narrationibus *factum purum* a spectatorum et auctorum *judiciis* separet; quare inquirat oportet, quaeenam adjuncta ob erroneum iudicium forte sint ommissa, quaeenam alia addita. E. gr. Dominus noster quinque panibus quinque millia hominum satiasset narratur.²⁾ Jam vero — dicit prof. Paulus —

¹⁾ In operibus: »Philologisch-kritischer und historischer Commentar über das neue Testament«, (1800—1804), et »Das Leben Jesu«, (1828).

²⁾ Joan. 6, 2—15; Luc. 9, 11—17; Marc. 6, 33—46; Matth. 14, 13—23.

hoc fieri non potuit; supplenda igitur est circumstantia quaedam ab Evangelista ommissa, sc. Christus ipse revera non dedit nisi quinque panes hordeaceos, sed sua liberalitate permovit alios, ut ipsi quoque panes et pisces, quos secum habuerunt, inter pauperes, qui nihil attulerunt, distribuerent.

Talem interpretationem prorsus *arbitrariam* et *absurdam* esse, nemo est, qui non videat. Nititur enim falsa suppositione, nullum eventum praeter ordinarias naturae vires admitti posse. Porro violenta prorsus est haec interpretatio et naturae Hermeneuticae contraria, utpote quae nulla certa lege nullisque finibus circumscripta appareat.

d) **Systema interpretationis mythicae.**

Mythus (μῦθος = verbum) est significativa, historiae formam prae se ferens aut ideae religiosae repraesentatio, aut facti cuiusdam explicatio. Mythos hosce distinguunt: a) *historicos*, b) *philosophicos*, c) *poëticos* et d) *mixtos*.

Historicos mythos vocant narrationes antiquas de rebus vere gestis, multis tamen figmentis et prodigiosis adjunctis exornatas; *philosophicos* mythos (philosophemata) dicunt eos, in quibus tota ideae — imprimis religiosae vel moralis — repraesentatio ficta et historico quodam involuero donata est; *poëticos* mythos vocant narrationes vel omnino e poëtarum imaginatione exortas, aut saltem poëticis formis et figmentis ornatas; *mixtos* denique vocant illos, qui de duobus prioribus aut de omnibus simul speciebus participant.

Saeculo elapso usus invaluerat apud literatos et criticos, praesertim Germanos, philosophice explicandi *mythos*, seu fabulas in antiquis diversarum gentium libris narratas et in carminibus veterum poëtarum obvias, ita ut *Heine*¹⁾ absolute affirmaverit: »a mythis omnem priscorum hominum cum historiam tum philosophiam procedere.«²⁾

E mythologiis paulatim haec methodus translata fuit ad libros *historicos* Graecorum et Romanorum opera praesertim *Wolfi*³⁾ et

¹⁾ *Heine* Christianus Gottlob, (1729—1812), professor gottingensis.

²⁾ Cf. *Opuscula academica*, VII, pg. 189, 190, 191; et Appollodori atheniensis Bibliothecae libri tres et fragmenta, curis secundis illustravit *Heine*, p. XVI.

³⁾ *Wolf* Friedericus Augustus, (1759—1824), professor hallensis, auctor scientiae, quae *archaeologia* sensu latissimo nuncupatur. Opus ipsius principale est: *Prolegomena in Homerum*, ed. 4, 1875.

*Niebuhr*¹⁾; unde facilis erat transitus ad s. Scripturae Libros, pro iis scilicet, qui jam pridem divinam Scripturae inspirationem in dubium revocaverant, aut omnino negaverant, etsi Heine expresse declaraverit, ideas suas non habuisse locum in populo israëlitico.²⁾

Revera sub finem elapsi saeculi jam memoratus *Eichhorn* mythicum systema in s. Scripturae Veteris Testamenti interpretationem inducere ausus est et in *De Wette*³⁾ sequacem fidelissimum invenit.

*Baur*⁴⁾ systema hoc etiam ad Libros Novi Foederis extendere coepit. Eum vero ceterosque mythicos temeritate et impietate superavit **David Strauss**.⁵⁾

Hic totam historiam evangelicam mythum declaravit, contendens, Libros ss. Novi Testamenti demum altera parte saeculi II ab impostoribus conscriptos fuisse. Quantopere autem in hocce erraverit, quilibet attente percurrens testimonia antiquorum, facile intelliget.

Praefatum systema, quo tota christiana religio a fundamentis convellitur, avide exceptum fuit a plurimis hodiernis incredulis, inprimis per Germaniam⁶⁾, Angliam, Galliam, quos inter tristissimam

¹⁾ *Niebuhr* Bartholdus Georgius, (1776—1831), filius celeberrimi itineratoris Karstensis Niebuhr, scripsit: *Römische Geschichte*, (1811—1832), ed. 2, (1827—1842).

²⁾ »Notabili discrimine recedit hebraica doctrina ab omni veteri sapientia«. Vide *Opuscula academica*. t. VI, pg. 235.

³⁾ *De Wette* Guilielmus Martinus Leberecht, (1780—1849), discipulus Paulus-ii, inter alia conscripsit: »Dissertatio critica, qua a prioribus Deuteronomium Pentateuchi Libris diversum, alius cuiusdam recentioris auctoris opus esse monstratur«, Jenae, 4^o, 1805; »Beiträge zur Einleitung in's Alte Testament«; *Lehrbuch der historisch-kritischen Einleitung*, 1817.

⁴⁾ *Baur* Ferdinandus Christianus, (1792—1860), auctor *scholae tubingensis* seu *scholae criticae*. Ipsi opera huc spectantia sunt: *Die Christuspartei in der korinthischen Gemeinde*; *der Gegensatz des petrinischen und paulinischen Christenthums der ältesten Kirche*; *der Apostel Petrus in Rom* (*Tüb. Zeitschrift f. Theologie*, 1831, 61—206); *Nachtrag*, 1836, 3—32. *Die sog. Pastoralbriefe des Apostel Paulus, auf's Neue kritisch untersucht*, Stuttgart, 1835; *Paulus, der Apostel Jesu Christi, sein Leben und Wirken, seine Worte und seine Lehre*, Stuttgart 1845; *Kritische Untersuchungen ü. d. kanonischen Evangelien*, Tübingen, 1847).

⁵⁾ David Friedericus *Strauss*, (1808—1874), prius pastor, dein repetitor in seminario et simul docens in universitate tubingensi, auctor operum: *Leben Jesu, kritisch bearbeitet*, 1835, et *Leben Jesu für das deutsche Volk*, 1864.

⁶⁾ Huc pertinent mythicae interpretationis fautores, qui *scholam*, uti vocant, *tubingensem* constituunt et in Scripturis tractandis *criticam negativam* (seu de-

adeptus est famam Ernestus **Renan** in »Vie de Jésus«, (1863), qui mythis proprie dictis substituit *legendas*.

Mythica interpretatio **nec** in Libris Veteris **nec** Novi Testamenti **admitti potest**.

a) Non potest admitti in Libris **Novi Testamenti** ob scriptorum *veracitatem*. Quomodo enim fieri potuit, ut auctores coevi, immediati factorum testes, qui rerum, quas testati sunt, veritatem tanta animi constantia tenebant, ut acerbissima quaeque ac mortem ipsam pro ea tuenda libenter paterentur? Quomodo fieri potuit, ut tam *prudentes. sinceri* ac *simplices* viri inter tam breve temporis spatium, quod inter Christi ascensionem et inter conscriptionem horum Librorum intercessit, vel ipsi deciperentur vel alios decipere vellent aut possent, ac fabulas pro vera historia narrare? Quibus accedit testimonium *primorum Christianorum*, qui miracula Christi et Apostolorum pro veris habuerunt, quamvis et facile ea investigare possent et ad id praestandum gravissimis causis impellerentur.

Systema mythicum porro *falsis hypothesibus* innititur, quod nempe Evangelia alique Novi Testamenti Libri *authentici non essent*, sed post Apostolorum aetatem medio saeculo II conscripti, et quod *miracula sint impossibilia*.

Tandem Libri Novi Testamenti conscripti sunt *tempore romani imperii*, aetate scilicet excultissima; et omnia illa, quae in ipsis leguntur, in plena scientiarum et historiae luce acciderunt, eaque ab innumeris omnium gentium hominibus et a praestantissimis ingeniis tanquam vera habita sunt. Igitur sicut nemo sanus quaeret mythos apud Graecos aetate Aristotelis aut Thucydidis, vel apud Romanos saeculo Augusti, ita absonum est, in Novi Testamenti auctoribus mythos requirere.

b) Sed nec in Scriptura **Veteris Testamenti** mythica interpretatio admitti potest, quia etiam hi Libri *authentici* eorumque auctores *veraces* sunt, utpote qui rebus, in ipsis narratis coevi vel quasi coevi ac omnimode fide digni. Propterea etiam *Christus*

structivam) sequi gloriantur. Inter alios celebriores sunt: Eduardus *Zeller*, Albertus *Schwegler*, Reinholdus *Köstlin*, Adolphus *Hilgenfeld*, Gustavus *Volckmar* aliique. — E ceteris Rationalistis adducimus Brunonem *Bauer*, (1809—1882) ejusque opus: *Kritik der evangelischen Synoptiker*, 1841; Ludovicum *Feuerbach* cum libro: *Das Wesen des Christenthums*, 1841, ubi dicit »se punctum supra *i* Straus-ii pinxisse«, et Henricum *Ewald*, (1803—1875), cum ipsius: *Geschichte des Volkes Israel*.

Dominus et *Apostoli* argumentum horum Librorum non fictum, sed verum et divinum habent, ut e Novi Testamenti Libris edocemur.

Si vero Strauss et asseclae ad omnium gentium *historiam* provocant, contententes, eam a *mythis* incipere, imo juxta *Varronem*¹⁾ omnem historiam in triplex aevum dividendam esse, quorum primum vocari potest obscurum (*ἄδηλον*), alterum mythicum (*μυθικόν*), tertium denique historicum (*ιστορικόν*), respondemus, divisionem illam trium aetatum, etiamsi pro historiis et libris aliarum gentium admitti posset, nullatenus pro Hebraeis admittendam esse, quia populus hic prorsus singularis erat, sub speciali divinae providentiae regimine constitutus.

e) **Systema interpretationis panharmonicae.**

Effreni Rationalismo permoti ac veluti expergefacti Protestantium doctores, qui *orthodoxos* et *conservativos* se vocant, remedium aliquod afferre malo conati sunt, opposcentes rationalisticae exegesi saniozem aliquam methodum, sive *mysticam*, sive *grammatico-historicam*, sive etiam *traditionalem* et *analogiae fidei* librorum symbolicorum accommodatam, sive demum *panharmonicam*. Hujus systematis auctor est Friedericus Henricus *Germar*²⁾, concionator aulicus augustenburgensis. Praeter *Germar* huicce Protestantium classi adnumerandi sunt: *Guericke*, *Hävernicks*, *Hengstenberg*, *Winer*, *Olshausen* et alii.

Summa huius systematis haec est: Ad Scripturam recte interpretandam conflandum est primo systema religiosum e veritatibus in Scriptura clare revelatis et e sanae rationis principiis de Deo, de anima et de officiis moralibus; tum vero singuli Scripturae loci cohaerenter cum hoc systemate praeconcepto intelligendi et exponendi sunt.

Si haec a *Catholicis* dicerentur, admitti possent: constituerent nempe quoddam systema interpretationis *imperfectum* quidem, ast non falsum, nempe Scripturam *secundum fidei catholicae analogiam*

¹⁾ *Varro* Marcus Terentius, (* 116 + 27 a. Chr.), tribunus plebis, scripsit opus, cui titulus: »Antiquitates rerum humanarum« et alia plurima.

²⁾ In opere: Die panharmonische Interpretation der heiligen Schrift, ein Versuch zu einer klaren und gründlichen Auflösung der Streitigkeiten in der christlichen Kirche beizutragen, Schleswig, 1821.

exponendam esse. Verum sensu *Protestantium* haec non solum incompletum, sed falsum omnino atque ineptum systema efficiunt; est enim in se *contradictorium* et omni *tuta norma destitutum*, praesertim nostris temporibus, quum Protestantes quodlibet *dogma* rejiciunt et christianam religionem sine dogmatibus retinere vellent.¹⁾

II. Systema interpretationis pietisticum.

Pietistae, quibus adnumerandi etiam antiqui *Montanistae*, tempore Reformationis prodierunt *Calvinistae* et *Anabaptistae*²⁾, ac dein *Quakeri*³⁾, quibus *William Penn* († 1718) Pennsilvaniam in America septentrionali incolendam tradidit. Huc pertinent etiam *Fratres moravi* et *Herrnhutani*⁴⁾, *Swedenborgiani*⁵⁾ et *Methodistae*⁶⁾. Systema harum Sectarum religiosum et inprimis interpretationis s. Scripturae sequenti modo proponi potest:

Cuilibet homini certum contingere diem ac tempus visitationis, quo ipsi possibile sit salvari. Eum in finem Deum unicuique homini communicare mensuram sufficientem luminis Filii sui vel Spiritus s., quo ad veram Dei cognitionem perveniat. Inde affir-

¹⁾ Ita XVIII concilio Prot. (XVIII Deutscher Protestantentag), diebus 7—9 Oct. 1890 Gothae habito, decisum est. De hoc concilio refert folium periodicum, cui titulus »Stimmen aus Maria Laach«, 1891, I, pg. 22 seqq.: »*Undogmatisches Christenthum* — lautet die neueste Parole im Lager des liberalen Protestantismus; *Christenthum*, aber *kein Dogma* — tönt es uns einstimmig vom jüngsten deutschen Protestantentag entgegen. Das Dogma, behauptet man, ist unverträglich mit der stolzen Wissenschaft des XIX Jahrhunderts; darum muss es fallen. Ohne Christenthum aber können wir nicht existiren, darum bleibe das Christenthum. Aus allen Verlegenheiten errettet uns ein undogmatisches Christenthum«. — Cf. etiam: *Undogmatisches Christenthum, Betrachtungen eines deutschen Idealisten*, ab Ottone *Dreyer*, dr. theol., superintend. Gotha-ensi., ed. 2, Brunswici-i, C. A. Schwetschke et fil., 1888, cujus operis prima editio paucis mensibus divendita est.

²⁾ *Anabaptistarum* dux fuit *Joannes Bockhold*, sutor lugdunensis in Batavia, s. XVI.

³⁾ *Quakerorum* fundator exstitit *Georgius Fox*, (1624—1690), sutor et pastor in Anglia.

⁴⁾ Quorum dux fuit comes *Ludovicus a Zinzendorf*, (1700—1760), blasphemus et impurus scriptor.

⁵⁾ Nominati a duce sectae *Emmanuele Swedenborg*, s. XVIII, in Batavia.

⁶⁾ *Methodistarum* fundator erat *Joannes Wesley* Oxonii circa a. 1729, cuius frater *Carolus Wesley* sectam in America septentrionali propagavit.

mat, etiam quemlibet Christianum sacros Libros legentem vel lectionem eorum audientem, in animo a Filio Dei vel a Spiritu s. immediate edoceri Scripturae sensum.

Sententia haec innititur *perversae* quorundam s. Scripturae locorum *interpretationi*, nempe Joan. 1, 9; Rom. 8, 14; Joan. 14, 26 et I Cor. 2, 10, sed sana eorundem intelligentia confunditur et innumeris aliis clare refutatur. — Falsitatem systematis etiam *historia* abunde demonstravit. Nam lumine illo interno ducti Montanistae quidam laqueo se suspenderunt; *Bockhold* seipsum regem Sion proclamavit, deinde undecim uxores simul duxit easque postea una cum plurimis aliis, qui ipsius regno se subjecerant, morte mulctavit. Alii ad alia absurda hoc »spiritu« excessere. Quae sufficiunt, ut juste concludamus, privatam illam, quam praetendunt, Spiritus s. illustrationem ad fidei veritates e s. Scriptura inveniendas nequam admitti posse, ne tot absurda in ipsum divinum Spiritum refundere cogamur.



Index rerum.

Praevia.

	Pagina
§ 1. Notio, divisio et ambitus Hermeneuticae	I

Pars prima.

Sensus s. Scripturae.

§ 2. Signum, significatio et sensus	3
§ 3. Tropi biblici	4
§ 4. De s. Scripturae sensibus	11
§ 5. Sensus literalis s. Scripturae	12
§ 6. Principia sensus literalis	13
§ 7. Sensus realis	14
§ 8. Typus	14
§ 9. Principia sensus mystici	15
§ 10. Systemata falsa circa sensum mysticum	17
§ 11. Sensus accommodatus	19
§ 12. Principia sensus accommodati	20
§ 13. De locis Veteris Testamenti in Novo Foedere obviis	21
§ 14. De locorum Veteris Testamenti in Novo Foedere alla- torum interpretatione	22

Pars secunda.

Heuristica.

§ 15. Supremum Hermeneuticae communis et biblicae principium	24
--	----

A. Principia rationalia.

I. De sensu inveniendi ope usus loquendi.

§ 16. Usus loquendi eiusque origo	25
§ 17. Usus loquendi necessitas et varia divisio	26
§ 18. Fontes et subsidia usus loquendi	27
§ 19. De usu loquendi biblico directe considerato in textibus et linguis originariis s. Scripturae	29
§ 20. De fontibus et subsidiis cognoscendi usum loquendi s. Scri- pturae	32

	Pagina
§ 21. De usu loquendi biblico indirecte considerato in versione authentica Vulgata	34

II. De sensu inveniendō ope orationis contextus.

§ 22. Notio, divisio et utilitas contextus	43
§ 23. Loci paralleli	45
§ 24. Media ad locos parallelos inveniendos	47
§ 25. Pugnae	47

III. De sensu inveniendō per conditionem loquentis.

§ 26. Conditio loquentis externa et interna	49
---	----

Epilogus.

§ 27. Materia substrata et occasio sermonis	52
---	----

B. Principia dogmatica.

§ 28. Supremum Hermeneuticae biblicae principium catholicum	54
§ 29. Authenticus s. Scripturae interpres	55
§ 30. Interpretatio catholica enuntiata a concilio tridentino	56
§ 31. Analogia fidei	61

Pars tertia.

Prophoristica.

§ 32. Varii sensus exponendi modi	63
§ 33. Versio	64
§ 34. Societates biblicae	65
§ 35. Paraphrasis	67
§ 36. Scholium et glossa	68
§ 37. Postilla et catena	69
§ 38. Commentarius	70
§ 39. Interpretatio popularis practica	71

A d d i t a m e n t u m .

Interpretatio rationalistica.

§ 40. Interpretationis rationalisticae origo, progressus et variae formae	72
---	----



